Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/vetuslatiumprofa09corr

VETUS LATIUM PROFANUM

TOMUS NONUS

IN QUO AGITUR

DE PRÆNESTINIS ET GABINIS

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

ROMÆ. CIↃIↃCCXLIII.

Excudebant BERNABÒ, & LAZZARINUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

JOSEPHUS ROCCUS VULPIUS SOCIETATIS JESU
Felicitatem.

UÆ de Prænestinis Veteribus passim dispersa, in unum congregata volumen, suoque digesta ordine, concinnavi, proprioque ac peculiari Commentario con-

 clusi;

* Præsens Epistola, viventi Optimo Cardinali allegata, atque oblata, loco moveri non debuit; quamquam eodem ad Superos hinc sublato, GRATI atque OBLIGATI ANIMI virtute prohibente. Tum vero ob id quoque meritissime, quod Excellentissimus D. JULIUS Prænestinorum Princeps, Tanti Viri Hæres Magnanimus, ejusdem vestigiis insistens, Æreas Tabulas Prænestinorum veterum Monumentorum, quas Decessor Cardinalis benignissime hic repræsentandas concesserat, nobis pari MUNIFICENTIA commodavit.

cluſi; ea nonniſi Immortali Tuo Nomini, FRANCISCE BARBERINE CARDINALIS AMPLISSIME, *a me conſecrata ut prodirent, Sanctiſſimarum omnium Jura Legum ineluctabiliter popoſcerunt.* Tui *enim multiplici titulo Prænestini iſti jamdudum ſunt. Primo quidem, quod Barberinorum placidiſſima in ditione verſentur, humaniſſimoque dominatu ac regimine perfruantur, totque jam annos Tua, Princeps Eminentiſſime, paterna cura potius, quam imperiis, feliciſſime gubernentur. Huc accedit quod non ſolum forenſibus ac civilibus Prænestinorum rebus id contigit, ut tam miti ac ſapienti Tuo Principatui ſuppoſitæ adminiſtrarentur; verum etiam Sacris, & ad Cæleſtia Divinaque animorum ſpectantibus, idem aliquandiu eveniſſe, dum ſacer Prænestinorum Antiſtes fores, effuſe Cives ipſi ſibi gratulati ſunt. Atque hoc quidem Prænestinam ad Civitatem quod attinet; ad mœnia, ad urbana ejus*

ædi-

ædificia, Sacras præcipue ædes, & piorum hominum collegia, civium ſplendorem & dignitatem, fortunas, agricolationem, annonæ copiam, innumeraque humanæ vitæ commoda, inopumque ac miſerorum erectionem, a Barberinis Principibus, atque adeo a Te potiſſimum, reſtituta, aucta, ſtabilita, ſuſcepta, procurata, modis omnibus amplificata, præſentiſſima & perennia reddita. Quod autem ad Veterum Prænestinorum monumenta colligenda, & immortalitati conſignanda pertinuit; id quoque Gentis Tuæ Generoſiſſimæ, Tuumque totum, jure ac merito dicendum eſt. Cum ab Joſepho Maria Suareſio, Vaiſonenſi in Galliis Antiſtite, Barberinorum ſub auſpiciis, deſcripti prodierint olim Prænestes Antiquæ Libri Duo copioſi admodum ornatique; in quibus Urbis hujus Hiſtoria univerſa, nitide profecto & accurate, exponitur, atque explicatur. Quorum ope, ſi a me præſens iiſdem de rebus Commen-

ta-

tarium elaboratum fuisse potissimum, dissimulare velim ullatenus, veritati nimium atque honestati injuriosus fuerim. Quidquod, hanc ipsam Spartam in adornando dum totus essem pro viribus, (quæ, sentio, quam sint exiguæ) mirum in modum Tuis, Cardinalis Amplissime, Patrocinio, Auctoritate, Humanitate, Sapientia, Liberalitate, adjutus sum? Et codices enim, ex quibus obscura loca illustrarem, & nutantia stabilirem ac confirmarem, intacta aque aliis hactenus atque inedita, primus proferrem, ac publici juris facerem, ex instructissima ista Tua Barberina Bibliotheca productos, mecum perhumaniter communicasti; & regio Ædium Tuarum Principum hospitio Prænestе exceptum, Tuique ipsius contubernio dignatum honorificentissimo, de Prænestinorum antiquis rebus ipse, gravibus identidem curis secluſis, ore proprio, eruditissimisque colloquiis edocere me, singula multo certius,

quam Prænestinæ olim Fortunæ oracula, excipientem, sustinuisti. Comitem quoque itineris assumere in Prænestinis vestigandis ac perscrutandis antiquitatibus, aquarum præcipue fontibus jamdiu dispersis detegendis, perfamiliariter, non es gravatus. Lapidum porro inscriptorum copiam, quæ maxima Prænestinis Tuis multiplicibus in Ædibus est congregata, suffecisti; celeberrimique Fortunæ Prænestinæ Templi lithostroton sive musivo ac tessellato opere pavimentum constructum, e tenebris per Te erutum, & ex obsoleto squallidoque in conspicuum honestissimumque transductum locum, curâ tanti Principis, quantus es, vere dignâ, exemplari formis ex ære expressis mihi dono misso, interpretandum, quatenus opus, & illustrandum, fas quatenus, tradidisti. Denique in Tuam mihi clientelam tot jam abhinc annis benignissime suscepto hortator ad hanc ipsam conficiendam, expoliendam, & eden-

dam

dam tandem aliquando Veteris Latii Historiæ Partem persæpe, auctorque locupletissimus esse, voluisti. Quæ cum ita sint; quis jam locus restabat, ut opus hoc qualecumque tot jam nominibus Tuum, non Tui quoque ipsius glorioso Nomine insignitum, ac proprii veluti domini sigillo munitum, in publicum prodire posset? Certe Petrus Marcellinus Corradinus S. R. E. Cardinalis gravissimus, idemque Primus Historiæ Veteris Latii Inventor, haud aliter fieri posse, sanctissime judicavit. auctorque horum Tibi Librorum Dedicandorum, quod Tui jam forent, ipse mihi esse voluit. Ceterum, ut domestica hæc Tua omnia, quibus Prænestinorum Historia Tibi debetur, jura silerent; & Patroni adhuc adoptandi liberam aliquam utcumque facultatem reliquissent; potuit ne illis Præsidium & Decus Tuo splendidius ac validius, circumspectis omnibus ac perlustratis, induci vel procurari? Certe omnia (pace di-

xerim

xerim Modeſtiæ Tuæ ac Verecundiæ, Princeps Eminentiſsime,) certe, inquam, omnia in Te ſumma conſtituit Beneficentiſsimus Deus, ut Clientium Tuorum Grande Decus, Columenque fores. Si enim Familiæ Tuæ ac Gentis nobilitatem ſpectare quis velit; ſplendidiſsimis Majores Tuos muneribus, dignitatibus, rebus geſtis in ſago togaque, domi foriſque celeberrimos numerare vix poterit. Ex quo enim Barberini, Florentiæ ceteroquin Patricio ex ordine illuſtri, non uno jam ſæculo, in Romanæ Urbis Aulæque lucem multo nitidiſſimam convenere; ſexies Romana Purpura inclaruerunt; Mapheoque, Antonio, Franciſco, Juniore Antonio, Carolo, Teque Juniore Franciſco S.R.E. Cardinalibus, inclytum nomen ad ſidera, præclariſſime ac ſapientiſſime factis, evexerunt. Quos inter Chriſtianæ Reipublicæ ſplendidiſſimus, ac ſingulari Dei Optimi Maximi beneficio diutinus, Sol ille Univerſo Ter-

rarum Orbi refulsit Mapheus, jam Urbanus Octavus Pontifex Maximus. Cujus religionem, pietatem, sapientiam, doctrinam, magnificentiam, munificentiamque, perpetuis tot Sriptorum, perenniumque ubique passim monumentorum, testimoniis consignatam, nulla unquam poterit sæculorum oblivio ex hominum memoria delere. Nam quid ego reliquorum Majorum Tuorum decora vel cursim commemorem, angustis unius Epistolæ spatiis inclusus; quibus longissima singularis Historia vix satis esset? Præfecturas, inquam, Almæ Urbis perpetuas, Amplissimos Principatus, Suprema in exercitibus imperatoria obita strenue munia, honorificentissimos ab potentissimis Regibus, & in Galliis præcipue ab Ludovico XIII. collatos Titulos, ceteraque id genus quamplurima, quibus cumulatissime exornati sunt? Quid generosissimas principibus cum Italiæ familiis contractas consanguinitates & affinitates?

Ma-

Magalotta, ſcilicet, Muta, Cajetana, Borromea, Zena, Ludoviſia, Ventimilia, Juſtiniana, Caſarella, Columnenſi, & omnium maxime, Ateſtina, aliiſque plurimis nobiliſſimis.

Verum quid ego hæc Tibi, quantumvis veriſsima, Gentis Tuæ decora, fruſtra commemoro? Cum Tu, Cardinalis ſapientiſsime, hiſce Majorum Titulis uſque adeo non extollaris, aut ampulleris; ut potius Veræ Philoſophiæ, Chriſtianæque Modeſtiæ, præceptis imbutus affatim atque madidus,

Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra putes.

Sive ergo in adoptando Commentariis hiſce meis Mecænate, proprias ipſius eligendi Patroni dotes inſpicere voluiſſem; quem, abs Te, numeris omnibus abſolutum, convenienter magis optare votis vel cupidiſsimis & avariſsimis potuiſſem? Certe Tu, Romanæ Decus Purpuræ

octavum jam annum & quadrageſimum, ex quo in hoc ſanctiſsimum Patrum Collegium ab Optimo Pontifice Alexandro Octavo Venetorum Gloria es vocatus; Chriſtiano Orbi præclariſsimarum virtutum omnium luce ſplendeſcere nunquam ceſſaſti, Quanta enim ſemper, vel in ipſo juventutis flore, morum ſanctitate, verſandi gravitate, agendi maturitate, difficillima quæque & ſumma tractandi, decernendi, explicandi, prudentia ſapientiaque es commendatus? Quis Legationum Tuarum tempora feliciſsima ſumma cum voluptate non recordetur? Quis in Sacri toties Antiſtitis difficillimo obeundo munere expletas & cumulatas copioſiſsime Vigilantiæ, Dexteritatis, Paſtoralis Solicitudinis, Paternæ Miſericordiæ ac Pietatis, partes omnes, admirari unquam ſatis potuit? Prænestinos ipſos appello, Farfenſes, Sublacenſes, Oſtienſes ac Veliternos, quibus tanto frui Paſtore, ſingulari beneficio cæli-

tus

tus conceſſum fuit. Si autem Ordini, in quem a teneris, Divino miſerante Numine, ſum allectus, Societati Jeſu, inquam, amicum & faventem cum primis Patronum, Libellis hiſce meis commendandis eligere voluiſſem; cui potiſſimum, Te prætermiſſo, perpetuis iiſdemque maximis beneficiis obligatiorem Societatem univerſam reperire unquam valuiſſem? Avitum hoc Tibi, Cardinalis humaniſsime, & Gentilicium, ut Noſtri Ordinis homines & ſtudia foveas promoveaſque quammaxime. Sanctiſsimi ſcilicet Pontificis Urbani VIII. tamquam teſtamento ac ſupremis tabulis Tibi Tuiſque relictam hereditatem, amorem & patrocinium in hanc minimam Societatem apud Te ſervas. Ex quo enim Orbis Chriſtiani Pater ille Optimus a teneris uſque in Romano Collegio Noſtrorum ſub Hominum Inſtitutione pietatem ac litteras imbuit; extremum ad uſque ſpiritum Ordini Univerſo, omnibus, qui-

bus

bus in ſummo elatus dignitatum faſtigio pollebat abundantiſſime, rationibus favere numquam ceſſavit. Patruique Magni veſtigia ſecuti Franciſcus & Antonius Barberini cum Carolo Cardinales in conferendis huic Cœtui omne genus beneficiis certare quodammodo ſecum ſemper viſi ſunt. Quorum ad Superos evectorum deſiderio ne ullatenus mœreremus; Tu, Cardinalis Beneficentiſſime, in eorum omnium unus unicus, copioſe ſuffectus locum, cumulate profecto effeciſti. Mitto enim, quod magnifice de Sanctiſſimi Parentis Ignatii Inſtituto & apud Te ſentis, & cum aliis ſoles communicare; mitto, quod Noſtrorum hominum opera in Sacris Expeditionibus frequentiſſime utaris; Urbanis quoque & ſuburbanis excolendis Sacrarum Collegiis Virginum, quibus es Præſes, nullos magis atque libentius adhibeas; ceteraque id genus complura ſplendida Tui Judicii, & Paternæ in Nos Charitatis Tuæ præclara

ar-

argumenta; tantumque illud omnium illuſtriſſimum commemorabo, Te in Legatione illa Tua Flaminienſi tam ſancte ac glorioſe obita, Barberinum Collegium Ravennæ conſtituiſſe ac fundaſſe, Noſtrique Ordinis Tutelæ ac diſciplinæ penitus tradidiſſe; in quo ex Univerſa Provincia nobiles adoleſcentes Religioni & Bonis Artibus incalleſcerent. Et Sublacenſi Seminario Reſtituto, ſeu verius Inſtituto, ab Romani Seminarii Noſtris moderatoribus ut leges ſcriberentur, & promulgarentur ſervandæ, eodem a Te honorificentiſſime iiſdem deductis, Tuæque Præſentiæ ſumma auctoritate decoratis, imperaſti. Summam enim, liquidiſſimamque Te percipere voluptatem profiteris; quoties alumnos Tuos, qui in Romano ipſo Seminario educantur, ſummos in pietate ac doctrina progreſſus facere, & ſupra condiſcipulos & collegas reliquos antecellere, ac toto vertice ſupereſſe, quotidie intueris. Quos prædi-

vite

vite proborum morum & ſacrarum litterarum duplici patrimonio inſtructos per oppida Paſtorali Tuæ Solicitudini ac Fidei commiſſa diſpergas: Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi Domini in remiſſionem peccatorum eorum. *Unde fit, ut Univerſæ Sacræ Ditiones Tuæ vel remotiſſima, aſperrima, & ſolitaria loca, oppidula, teſqua, & tuguria, floreant nihilominus, & ſanæ doctrinæ ſparſis & corrivatis ubique fontibus irrigentur* quaſi Paradiſus Domini. *Quemadmodum enim in Romano Seminario Barberini alumni nullis contubernalibus ſecundos ſe patiuntur; ita Barberinarum Sacrarum Ditionum Curiones atque Paſtores & reliqui Sacrorum Miniſtri optime inſtitutionis, probitatis & ſcientiæ copia & exemplo ceteros antecellunt.*

Quanti autem Noſtrorum Hominum Inſtitutionem facias, feceriſque ſemper (quæ Tua ſumma Humanitas eſt) vel illud unicum

ac ſingulare omnium loco, quæ plurima adduci poſſint, teſtimonium fuerit luculentiſſimum, quod mihi perſæpe ſignificaſti, Te ſcilicet Joannis Muſſantii noſtri, editis Chronologicis Hiſtoriciſque expanſis Tabulis viri celebris, magiſterio, quod juvenis uſus fueris; gratiſſimam uſque adeo ſemper apud Te recordationem ſervaſſe; ut nulla Tibi unquam prætereat dies, quin ejuſdem, dum ad Aram facis, memoriam recolas; ejuſque animum, ut Cæleſtibus inſeratur, (ſi adhuc abeſſet, quod pie non credimus) ſupremi Numinis miſericordiæ commendare numquam omittas. Quod ſi tandem & Loci, in quo verſor decimumſextum jam annum & eo amplius, rationes, in hiſce Prænestinis a me deſcriptis Monumentis Patrono optimo dedicandis, habere præ oculis voluiſſem; abs Te, nihilominus mihi deflectendum nullatenus video fuiſſe. In illo enim Romæ Græcorum Collegio verſor, quod Mapheo Bar-

berino Cardinali, eidemque postmodum Urbano Octavo Summo Pontifici plurimum se debere profitetur. quemque Restitutoris *ac pene* Secundi Fundatoris *post Decimumtertium Gregorium, loco, semper agnoverit. Is enim e Triumviris Curatoribus electus, cum turbarum multum ad eam diem in hujusce Collegii multiplici diversorum hominum & institutorum ex disciplina inveniisset; Societati Jesu, volentibus, ac summi beneficii instar exposcentibus enixe Alumnis omnibus, informandum perpetuo idem ut traderetur, ab Optimo Pontifice Gregorio XV. sua auctoritate impetravit. Ipsique Gregorio in Sede Petri suffectus, amplissimum Diploma,* (Bullam *dicunt,*) *edidit quo ut Nostrorum hominum Curæ, non minus ac reliqua per Urbem Pontificia Collegia nobis commissa, subditum regeretur, & administraretur, Græcorum ipsum Collegium, amantissime consignavit. Quarum sanctissimarum Le-*

gum

gum inſtitutis atque uſu, qui nunc quoque viget, ſedatis veteribus tempeſtatibus, & difficillimorum anteactorum temporum æſtibus ac turbis propulſatis omnino, & quam longiſſime amandatis,

Aurea fæcla ſuis dixerunt, currite fuſis
Concordes ſtabili Paſtoris munere Parcæ.

Si igitur in hoc Contubernio, honeſtiſſimo, ac minime ocioſo aut ſegni, veluti in ocio degens tot jam annos, huic de Veteri Latio ſcribendæ Hiſtoriæ incumbere pacatiſſime potui; Urbanus, poſt Deum Optimum Maximum, nobis hæc ocia fecit. Partem igitur Hiſtoriæ ejuſdem Urbani ipſius Poſteris, per ejus Pontificis vere Maximi veſtigia tam glorioſe gradientibus, Tibi, inquam, Cardinalis Ampliſſime, ut conſecrarem, divina humanaque jura omnia expoſcebant.

Quæ quidem omnia, quamquam non, ut faciunt, urgerent; propriæ tamen ac peculia-

*res mei ipſius rationes id præſtarent validiſſime, quibus me Tibi obligatiſſimum reddidiſti. Voluiſti enim, Cardinalis Sapientiſſime, antiquis plurimis in me collatis beneficiis etiam honorificentiſsimum iſtud, ſex jam abhinc annis cumulare; ut Graviſsimo Cenſorum, quos adhibes ad Sacris initiandos examinandos, & Curiis præficiendos, Cœtui, licet immeritiſsimus aggregarer. In quo, poſt ſummam Tuam Humanitatem, me Pompejo * Compagnono Patricio Maceratenſi viro Pientiſsimo atque Doctiſsimo, Generali Auditori Tuo, cujus maximi meritiſsime operam facis, debere plurimum, & apud me ſentio, & palam omnibus ſancte profiteor.* Nulla etenim Tibi me ſors obtulit. Optimus ille me talem, ut poſſem Tibi ſors placuiſſe, putavit.

* Auximanus is modo & Cingulanus eſt Sacer Antiſtes, Forma factus Gregis ex animo.

Accipe igitur, Cardinalis Ampliſsime, Opus innumeris pene Titulis ac Nominibus Tibi debitum, quod Tibi dedicatum in opti-

mum

mum ſinum Patrocinii Tui veluti in Sacram Aram ab Lividorum morſibus ne appetatur, confugere jamdiu geſtit. Meque cum illo ſimul in Tuorum numero ſerva. Dum interea fauſta omnia, Univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ Bono, in quo procurando noctesque dieſque indefeſſus unice verſaris, a Supremo Numine Tibi apprecatus, Sacræ Decus Purpuræ in omne obſequii argumentum conformatus exoſculor.

Romæ ex Gregoriano apud Sanctum Athanaſium Magnum Græcorum Collegio An. ab Virg. Partu CIↃIↃCCXXXVIII. *ipſis Kalendis Januariis feliciter ingredientibus.*

LECTORI BENEVOLO

Joſephus Roccus Vulpius Societatis Jeſu Sal.

EX Algidenſibus, poſt Tuſculanos, luſtratis, in Prænestinos Colles adſcendere mecum ne graveris, Amice Lector. Erit enim, quod Te detineat in ipſo aſcenſu, ac delectet, ne ſuſcepti itineris aſperitate nimium defatigeris. Montem ipſum, in quo olim Prænestе ſita, & nunc etiam reſtituta ex parte conſpicitur, in Unius Templi Fortunæ Primigeniæ Prænestinæ baſim, ſtructuram, atque ornamentum, diſpoſitum undique totum fuiſſe pulcherrime, demiraberis; haud aliter ac audaciſſimus ille artifex Athon in Magni Alexandri ſtatuam efformare voluerat. Tum vero in ipſum Prænestinæ Arcis jugum poſtquam aſcenderis, Veteris Latii, cujus monumenta deſcribere pergimus, Fines, qua parte ex Orientis Solis plaga in Septemtriones convertitur, oculis dimetiri licebit. Perſpicies enim hanc Laboris Noſtri Regionem ab Oſtiis Tiberinis ad Circejum uſque Promontorium deductam qua mare proſpicit, Ufente dein fluvio finiri, ad radices uſque Setini Montis, unde tribus ille fontibus naſcitur. Per Setinorum deinde Collium & Norbanorum juga Coranis Montibus jungi; moxque Signinis atque Lepinis. quæ omnia proximis ſuperioribus Libris fuſe illuſtravimus. Porro ex his, Latini Fines ab planicie Signinos inter ac Prænestinos Montes, extensâ excipiebantur; in qua Æqui Volſcique, atque Hernicorum etiam pars modica, quodam quaſi cuneo, Veteri Latio inſinuabantur. Ubi oppida quondam Algidum, Labici, Pedum, Verrugo, Hortana, Corbio, Vitellia, Ecetra, atque alia ambigui nominis habita. modo enim quaſi Latinorum, quaſi conterminorum, quos nominavi populos, modo, cenſita ſunt ab Scriptoribus. De quibus proinde aliquam in his Libris, brevem tamen, mentionem faciendam a nobis merito judicavimus. Ab Prænestinis rurſum Montibus protenſum eſt Vetus Latium uſque ad Anienem fluvium. Si tamen minutius paullo, decempedâ velis uti, in ejus finibus ex hac parte determinandis atque metandis; ad ipſos Anienis fontes Trebanis in Montibus & Simbrivio Lacu, noſtra hæc Regio minime pervenit. Verum recta per Prænestinos Montes Tibur tetendit. Nos tamen in Noſtro de Tiburtinis Libro, quem ultimum

timum Latii Profani futurum ſperamus, ad ipſos Anienis fontes celebratiſſimos inveſtigandos excurrere non gravabimur. quemadmodum ab Oſtiis Tiberis ad fontes ipſos, tanto Anienis fontibus longinquiores, curſim adſcendere non dubitavimus.

Novi equidem minutam adeo horum Locorum Veſtigationem & Luſtrationem ſupervacaneam alicui videri poſſe & ocioſam nimis. Eumdemque calumniaturum, nullum profecto finem faciendum Univerſo deſcribendo Orbi, ſi tot Librorum materiam una Regiuncula unica implere debeat. Criminatoribus tamen hujuſmodi male feriatis, ſi qui ſunt, multipliciter facillime poſſim occurere. Ac primo quidem *me injuſſa non ſcribere*; quin imo *magna potius Maximi Viri juſſa complere*. Tum vero hæc ipſa Juſſa non tantum *Magna*, verum etiam *ſapientiſſima* eſſe. Regiuncula enim hæc, Vetus Latium, in Univerſum Terrarum Orbem latiſſime propagavit imperium, *extra anni Soliſque Vias*; tantumque celebris eſt effecta, ut Græcorum, Latinorum, Barbarorumque Scriptorum omnium Opus fuerit perpetuum ac Labor aſſiduus. Unde in illa nullum ſine nomine ſaxum; nullus ſine rerum geſtarum gloria locus vel deſertiſſimus ac deſpectiſsimus. Uno verbo, de illa vere Propertius: * * *Lib. 3. Eleg. 19.*

Omnia Romanæ cedunt miracula Terræ.
Natura hic poſuit quidquid ubique fuit.

Itaque, quemadmodum, male profecto atque injuriâ, accuratiſſimus Medicus carperetur, qui in Humani Capitis admirabili ſpectatoribus oſtendenda atque explicanda ſtructura, non in cerebro tantum, oculis, ore, auribus, ceteriſque potioribus ejus partibus evolvendis enucleandiſque ſingillatim inſiſteret; verum etiam in earum muſculis, nervis, tendinibus, venis, fibris, ceteroque interiore apparatu & ductu omni, detegendo, ac perveſtigando, paullo diutius immoraretur; neque criminationis apta ſatis cauſſa poſſet obtendi, ſæculum profecto ab illo inſumendum in ſingulis ceterorum humanorum membrorum partibus pari cura deſcribendis, ſi tantum temporis & morarum in uno capite perluſtrando conſumeret; quod nempe diſſimillima nobiliſſimæ partis, & ceterarum, apud ſanum quemque ſit ratio. Ita pariter de noſtra Veteris Latii, quod Caput Orbis erat, perminuta veſtigatione, ad ceteras Orbis partes, ſi tamen illas illuſtrandas unquam ſuſciperemus, eſt colligendum. Multo ſcilicet, expeditius earum nos luſtrationes abſoluturos fore, Capite ſemel minutiſſime perveſtigato. Verum hæc alias.

Prænestinam ad rem quod attinet, illud Te monitum volo, Lector

ctor Benevole, Partem hanc Operis Noſtri potiſſimam eſſe, utpote quæ Vetuſtiſſimis Monumentis adhuc extantibus ſit copioſiſſima. Quorum omnium inſtar fuerit, celeberrimum pavimentum minutiſſimis diſcoloribus lapillis in admirabiles omne genus figuras compactum elegantiſſime, ab octodecim ferme ſæculis ex quo ab L. Sylla Dictatore in Primigeniæ Fortunæ Delubro Prænestæ factum fuit, in hanc uſque diem ſuperſtes. Hoc enim unum unicum Monumentum nobiliſſimum, incredibili eruditione ſcatens, peculiare ac ſingulare ſibi Commentarium merito popoſciſſe videri poſſit. Rerum vero geſtarum apud Prænestæ Hiſtoria, varia oppido & admirabilis, deſiderium eas cognoſcendi minutiſſime, Lecturis ingens creare poſſit; Prænestæ ſiquidem Marianarum ac Syllanarum Tragœdiarum miſerrimum Theatrum fuit. Prænestinorum quoque fides atque conſtantia in ſuſtinenda, extremum ad uſque ſpiritum pro Romanis Sociis Caſilini obſidione ab Annibale, ad legendum quem non allexerit? Veterum denique Auctorum ſplendida Prænestinis de rebus teſtimonia in unum hic congregata, ſuoque ordine digeſta, & Lapidum Inſcriptorum vim plurimam invenies, interpretatione, ubi opus, illuſtratorum, quibus dives eſt Commentarius; & quorum admoto lumine, plurima in venerabili detegenda antiquitate obſcuritas tolli poſſit. Facem his omnibus mihi, & luculentiſſimam illam quidem inveſtigandis prætuliſſe Joſephum Mariam Suareſium Antiſtitem Vaiſonenſem Virum Clariſſimum ſuis de Antiqua Prænestæ Editis binis Libris, uſque adeo nuſquam diſſimulaverim, quin potius maxima cum grati animi ſignificatione plane profiteor. Cui tamen quid addiderim, quantoque plura quam ille protulerim, quid denique Opus inter utrumque diſcriminis interſit, ne actum agere viſus ſim, ſapientum virorum judicium eſto.

Ceterum, non aliorum tantum auctoritatem ſectari, & in eorum veluti verba jurare tantummodo & acquieſcere, ſatis duxi. Verum ipſum oculorum meorum multo fidiſſimum teſtimonium adhibere (quod hactenus in reliquis recenſendis Latii monumentis conſuevi) & in Prænestinis recenſendis conſtitui. Prænesten igitur non ſemel adivi, & Prænestinos agros fineſque luſtravi coram. Franciſcique Barberini Cardinalis ampliſſimi Prænestinæ Urbis Domini ſummâ exceptus & adjutus humanitate ſingillatim diſquirere ac diſcutere cuncta per ocium potui; Pompejo * præcipue Compagnono Patricio Maceratenſi Cardinalis ejuſdem Generali Auditore viro clariſſimo deducente, & ſingula commoſtrante, eorumque hiſtoriam narrante do-

* *Auximanus & modo & Cingulanus eſt ſacer Antiſtes, Forma factus Gregis ex animo.*

doctiſſime. Cui Viro Clariſſimo, me tum aliis nominibus, tum vero pro Prænestinorum veteribus monumentis mihi perbenigne communicatis atque explicatis debere me plurimum ſemper profitebor. Eumque ad illud Dignitatis faſtigium, cujus omnes Boni, in Urbe præcipue, merentiſſimum ob egregias virtutes & diſciplinas noverunt & confitentur, brevi perventurum fore & auguror feliciſſime, & me aliquando evectum illum, gratulaturum eſſe confido. Qui idem parcet profecto ſi juſtitiæ magis ac veritati, quam ſuæ verecundiæ ac modeſtiæ gratus ac morem gerens hæc ipſa de ſe protulerim.

Porro in Inſcriptorum Lapidum recenſione, quod alias monui, ne mireris, Amice Lector, ſi a Gruteri aliorumque, qui hæc collegerunt, edideruntque ante nos, lectione ac deſcriptione diſceſſimus. In primis enim quibus illi, utpote abſentes, & quidem longiſſime, aurium vel codicum & ſchedarum deſcriptarum, iis nos ſæpiſſime oculorum præſentiſſimum terque quaterque teſtimonium adhibuimus. Exeſis deinde ac pereuntibus adeo literis ex his permulti ſunt Lapides, ut variantibus lectionibus pluribus locum dare videantur; cum unum mihi, tibi vero aliud diverſum omnino, & elementum & vocabulum non inepte, idem exiſtimetur, fugientibus notis ac ſignis & ambiguis omnino apparens. Noveris quoque, ſemidoctos inveniri nonnullos, quibus quantum doctrinæ, lectionis & eruditionis deſit, tantumdem confidentiæ ac frontis abundet, qui facillime arcanis prope jam figlis, & inexplicabilibus & incognoſcibilibus in hujuſmodi lapidibus recenſendis ſupplementa de ſuo addere minime dubitent; quamque ipſi ſibi fingunt, germanam eam atque genuinam lectionem eſſe confidenter, ac non ex cathedra ſolum, verum etiam ex tripode & de cortina pronuncient. Ego vero, quemadmodum in re ſatis perſpicua, uniuſve aut alterius literæ abraſione ſeu fuga, probabili uti conjectura, ac ſupplemento, prudentis exiſtimo; ita quadratarium agere, vel divinum, hariolum, aut vatem, quod pejus eſt & inſanius, in Veterum monumentis proprio ingenio reſtituendis, neque in me ipſo neque in aliis ut ſanum unquam probaverim.

Quod ipſum ad Veterum Locorum ſitum determinandum adhibere judicium, facto optimum judicaverim; ne ſcilicet aut inani vulgi opinione, tamquam ab impetu fluvii, deduci nos, trahi, ac veluti rapi ſinamus: neve, dum a vulgaribus ſententiis nimium abhorremus; inaniores, atque incertiſſimas, conjecturas temere nimium ſequamur. Hoc in his Libris temperamentum adhibuimus in Veterum Gabiorum ſitu deſignando. Cum enim Prænestinis Gabinos confines

adjunxerimus; de Oppido ipso Gabiis complures atque discordes, præclarorum cetera, Antiquariorum sententiæ occurrerunt, quæ in diversa animum distraxerunt, incertumque cui potissimum adhærendum foret, diu tenuerunt. Attamen, perpensis omnibus, diligentique trutina rationum atque argumentorum momentis examinatis, in omnium probabilissimam sententiam descendimus. Verum ita; ut certi nihil in re incertissima definiremus. Quod aliqui tamen culpare non cessant, calumniantes immerito, nos nihil statuere ac stabilire, sed omnia disquirere, & Academicorum in morem discutere tantum atque examinare, indecisa deinde relinquere. Ast horum in refellenda calumnia nihil est, quod pluribus immoremur; sapientium enim virorum commune judicium pro nobis stabit semper; hac denique ratione, & cautela res hujuscemodi antiquissimas, obscurissimas, incertissimas ac semisepultas, esse tractandas; ut nihil temere de illis asseveretur. Neque idcirco aut Scepticos agimus, aut Academicos; cum fere semper Lectoribus nostris, in quam & nos ipsi inclinemus sententiam, & cui potissimum ab sano quoque sit adhærendum, significemus.

Objicientibus denique, nos actum agere, & occupatam jam pridem ab viris clarissimis spartam excolere supervacanee, planissime ac rotundissime respondemus, falsa eos proferre ac sentire. Esto enim Cluverium in suo eruditissimo de Antiqua Italia Opere, plurima de Prænestinis, de Gabinis nonnulla, ac ceteris Latii Populis protulisse. Esto Suaresium atque Kircherium, Fabrettum, Holstenium, Cellarium, alios, in ea investigatione longius processisse; non omnia tamen scripserunt, aut collegerunt; quin imo colligere aut proferre potuerunt. Historiæ nostræ materies sub terra est; ibi latitat ac delitescit. ætas autem, quæ, quidquid sub terra est, in apricum profert in dies, (quam mutuatam ex Horatio sententiam, opportune oppido, in nostrorum Librorum frontibus idcirco apposuimus) nova nobis semper additamenta sufficit & supplementa. Quorum auxilio, aliorum, qui ante nos hanc spartam exornarunt, scriptis suppetias fecimus; & nondum finis. Licet enim seri studiorum videri possimus imperitis; non adeo tamen seri editi sumus in auras, ut relictum nihil a majoribus nostris, quod illustremus, vere ac merito queri possimus. Quotidie in Urbe, & in Suburbanis Latii Oppidis atque agris Vetera monumenta intacta pridem erui videmus. In Urbe quidem, hæc ipsa dum scribimus, ad Sanctum Cæsareum prope Thermas Antoninianas in Veteris Appiæ atque Ardeatinæ Viæ limite, in fundo RR.PP.Con-

RR. PP. Congregationis Somaſchæ Clementini Collegii Curatorum quotidie pulcherrima ſarcophagorum, ſtatuarum, inſcriptorum lapidum & cimeliorum omne genus plurima effodiuntur. idem apud Hortos Farneſios in Palatino fit, & in aliis Urbanis villis. Sub Urbe porro, & circa ſepulcrum Metellæ, & in Via Tuſculana, & apud Albanum, Prænefte ac Tibur pulcherrima vetuſtiſſima Monumenta nuperrime inventa videmus. Quorum vis multa merito Capitolium exornavit, Clementis XII. P. O. M. regiâ munificentiâ comparata, congregata, & in ſplendidiſſima luce collocata. quibus ab Benedicti XIV. Optimi Succeſſoris ſapientia ac munificentia novæ in dies acceſſiones pretioſiſſimæ fiunt. Quare ceſſent criminationes & cavillationes in Labores hoſce noſtros non minimos, qui nec ſupervacui ſunt, nec inanes. Quæ tamen omnia non eo dixerim, quod fructus non reſpondere labori querar. Cum potius, ultra votum etiam, noſtra hæc Commentaria ab univerſa Litteratorum Republica hactenus humaniſſime excepta fuerint; & omnes Europæ cultas nationes ſtatim pervaſerint; virique Clariſſimi ſuis in Libris perhonorificum ſane de illis teſtimonium publice tulerint. Perge itaque, Lector Benevole, in eo, quem reliquis præſtitiſti Libris noſtris, favore præſtando, dum hoſce legeris; ita enim acerrimos ſtimulos ad ſuſceptum tandem aliquando Univerſi Operis curſum conſummandum, adjicies. Vale.

Antiqua Locorum, quæ in his Libris deſcribuntur, Nomina cum recentibus collata.

AFilæ *Oppidum Agri olim Prænestini, jamdiu ad Sublacenſes translatum. ita Græco vocabulo, quaſi* Nonamicæ, *ab ſolitudine hoſpitum fortaſſe dictum; modo pariter* Afile.

Arx Prænestina *in ſummo Prænestini Montis jugo; modo* Rocca di Paleſtrina; *juxta Pagum vulgo* Paleſtrina vecchia *&* Monte di Paleſtrina. *Incolis autem* Caſtello *ſive* Monte Santo Pietro, *vulgatius dicitur; ab Æde Sacra ibidem antiquitus Sancto Petro dedicata. quam nuperrime ingenti ſumma Clemens XII. P. M. vetere dilabente ædificio diruto, ſplendide, vel ipſis a fundamentis, reſtituit.*

Bola *Veteris Latii urbs, Albanorum Colonia in finibus Prænestinis, in monte ſita. nonnullis ſtetiſſe creditur, ubi modo cultum oppidum* Poli *in ditione Comitum Principum Romanorum. quamquam hujus Oppidi incolis perſuaſum, eo loco ſtetiſſe* Poluſtiam *aliud Latinorum oppidum.*

Capranica *Pagus & Arx quoque in rupe celſiori, in Agro Prænestino, a* Capris paſcendis; *unde pervetuſta Romæ* Capranicarum *Familia. Idem loco nomen etiam in præſens.*

Cavæ *oppidum in Agro Prænestino ſic appellatum a* Cavis foſſionibus lapidum *ibi habitis pro Templo Fortunæ Primigeniæ extruendo, Prænestæ. hodie* Cave *&* Cavi. *Arci autem in rupe proxima ſemirutæ nomen* Rocca di Cave.

Civitatula *oppidulum in Agro quondam Prænestino. ad Sublacenſes jamdiu ſpectat. vulgo* Civitella di Subiaco. *aſpero rigidiorum Sancti Franciſci aſſeclarum Contubernio inſignitur, cui ipſe Beatus Pater initium feciſſe dicitur.*

Collatia *celebris Antiqui Latii urbs in Agro olim forte Prænestino, Tibur inter atque Prænestæ. in montibus ſtetiſſe videtur, & arce fuiſſe munita. Albanorum quondam Colonia. Ex illa* Collatii *&* Collatini *Populi.* Via *quoque* Collatia *&* Collatina, *Prænestinam inter atque Tiburtem. Cujus milliario octavo celeberrimæ* Aquæ Virginis fontes *erumpunt. vulgo* Sorgiva, e Fonti dell' Acqua Vergine, o di Trevi. *In hac vicinia quidam Collatiam urbem collocant, ad locum* Oſtaria dell' Oſa. *At male. namque in montibus fuit, ex Virgilio*: Hi Collatinus imponent montibus arces.

Gabii *Latii Veteris urbs Antiquiſſima, & quondam potens, dives, ac*

po-

populoſa, jamdiu deſerta & exciſa ſine veſtigiis. Fuit Viâ Præneſtinâ, in ipſo ejus limite, qui Gabios urbem interſecabat. milliario ab Roma, multis XV. *fere in Septemtriones; & ab Præneſte* XI. *Ex ea* Gabini, Gabii, Gabinatæ, Gabiuſi. *ut* Porta Gabiuſa *Romæ, &* Via Gabina, *ſive* Gabiuſa, *quæ cum Præneſtina fuit eadem, urbem* Gabios *uſque. De Gabiorum ſitu certant Antiquarii inter ſeſe; aliis pro Gabiorum ſede oppidum* Zagarolo, *aliis* Gallicanum *aſſignantibus. melius tamen cum Fabretto ceteri locum ſubſtructionibus, ſive potius ruinis & maceriebus congeſtis, ſparſum, inter utrumque oppidum, prope diverſorium Viâ Præneſtina* l'Oſteria *appellatum, Vetuſtæ Gabiorum urbi ſedem fuiſſe exiſtimaverunt. & Paperbrochius, ex Kircherio, nominatum ait nunc quoque,* CAMPO GABIO.

Gabinus Lacus *ſequioribus ſæculis etiam* Burranus *& Sanctæ* Praxedis *dictus, juxta Viam Præneſtinam, prope Veteres Gabios urbem. Aliis modo* Pantano, *vel* Pantano de' Griffi, *aliis communius* Lago di Caſtiglione *ex* Caſtello *ſeu* Caſtellione, *cujus adhuc pars, turris & horreum, in tumulo Lacui imminente nomen ſervat:* Caſtiglione. *promiſcue ab nonnullis cum Lacu Regillo Gabinus accipitur; verum, ut videtur, perperam.*

Gallicanum *oppidum in Agro Gabino Præneſtino, ab* Gallorum ſtatione: *ſive ab inclyti* Divi Gallicani Martyris *Conſulis poſſeſſione, & fundo ac prætorio; vel ab* Domitii Gallicani *rure ita dictum. nonnullis ſedes Veterum Gabiorum, ſed male, creditum eſt. nunc, Pallavicinorum Principum e Roſpiglioſis in Dominatu, antiquum retinet nomen* Gallicano. *Quidam putant,* Pedum, *vetus Latinorum oppidum celebre, hoc loco ſtetiſſe.*

Geniſtanum *cultum oppidum ab* geniſtarum frequentia *forte ita vocitatum, in Agro Præneſtino. Ab Columnenſibus Regulis ejus dominis dilectum & frequentatum. Inſigne fuit olim Antoninorum Impp. Villis, maxime Pii, loco, ubi nunc* Franciſcanorum Conventuali*um parvum Collegium cum Sacra Æde Sancto Pio Rom. Pontif. dedicata, vulgo* San Pio. *Celebratur idem oppidum etiam nunc ob Venerabilem Deiparæ Virginis Imaginem prodigiis claram, ex Epiro advectam, apud Auguſtinianos.* Jannazanum *barbaris ſæculis eſt appellatum; unde præſens vocabulum dimanavit* Jannazano, *ſive* Genazzano.

Longianum majus & minus *Caſtra ſeu melius prædia in Agro Præneſtino; ex quibus Pagus nomen accepit extans in eodem Agro, vulgo*

Lugnano. *A Pamphiliis Romanis Regulis possidetur. Prope locum, Balnea nescio quæ extitisse olim, innuere videtur viciniæ nomen* Li Bagni.

Olibanum Olebanon & Oleranon *Fundus olim in Prænestino; ad Urbanam Divi Erasmi in Cœlio Monte Sacram Ædem antiquitus pertinens. nunc Pagus cultus in Sacra Prænestini Antistitis Ditione, a Burghesiis Principibus possessus, vulgo* Olevano. *Spectavit etiam aliquando ad Antistites Sublacenses. nomen vel ab* Oleis, *vel ab* Oleribus, *si Latinæ originis est, deductum videtur. si vero Græce ab* Thure *quod Græcis est* Libanon λίβανον. *quasi* locus odoratissimus, & totus thus redolens.

Palianum, *sive* Paleanum, a paleis, *oppidum vocitatum, in Agro Prænestino, quod in medio fertilium arvorum, & uberrimarum messium, spicarum, aristarum, &* palearum *foret constitutum. Jamdiu arce munita circumdatum est, in Pontificiæ Ditionis & Neapolitani Regni confinio. A Columnensibus Dominis possidetur. qui proinde* Paliani Duces *se nominant. sepulcris eorumdem insigne est. Si autem ex Græco originem nominis repetamus,* Antiquum *sonat.* Πάλαι, *quondam* Παλαιὸς Antiquus, Vetustus.

Pedum *Prisci Latii oppidum. Ejus circa Regio* Pedana *dicta*; & Pedani Populi. *ex Græco*, quod in planicie *fuerit, sic dictum. stetisse creditur circa recens Pamphiliorum oppidum satis cultum. in Via Latina*, Valmontone *nominatum*; *aliis prope Gallicanum.*

Pontia, *forte ex* Pontia *Romana Gente deductum nomen, ex qua* Pontius *Pilatus Judææ Præses*; *oppidum Agri olim Prænestini jamdiu inter Sublacensia Castella connumeratum, in quorum montibus sedet. munita quondam arce gaudebat. ad quam expugnandam civilia prælia permulta habita sunt. nunc squallet, ac ferme in ruinis jacet. vulgo* Ponza. *Hoc cave confundas cum Pontia Insula contra Cajetam & Formias, juxta Palmariam & Pandatariam.*

Prænestæ *Veteris Latii urbs, olim rerum gestarum, ac Templi Fortunæ Primigeniæ, & Sortium, fama celeberrima; in Apenninorum dorso, quod Latinos a Samnitibus, Marsisque, atque Hernicis dividit, sita. Ab Urbe Roma, in ortum æstivum* XXI. *m. p. distans, sive stadiis* CLXX. *Ab Tyrrheno mari ferme totidem, Tibur inter & Anagniam. Excelso loco sedet. hodie* Palestrina, & Pilastrina, & Peleſtrina. *Incolæ olim* Prænestini; & *Græcis* Prænestrii; *modo* Palestrinesi. *Ex Columnensium ditione ad Barberinos Principes jamdiu transiit; a quibus felicissime regitur.*

Ru-

Ruviate *ſeu* Rojate *Agri Prænestini olim oppidum jamdiu ad Sublacenſes traductum. Menſuram ſtaturæ palmorum decem, & eo amplius, Sancti Patris Benedicti, in vivo ſaxo mirabiliter impreſſam ſervat, intra excitatum ad id Sacellum. ab* rubis *ſeu* ſpinis, *ſive* granatorum *aut* Punicorum malorum copia, *quæ Græce* Ῥοιὰ *Roja, nomen forte acceperit. quod adhuc ſervat*: Rojate.

Sacriportus *oppidum olim Agri Prænestini jamdiu dirutum. apud quod horrenda Marianæ Factionis militum ſtrages facta ab Sullanis. De qua celeberrimum Carmen*: Jam quot apud Sacri projecta Cadavera Portum. *Situm fuiſſe creditur, Prænesten inter & Signiam; in iis ſpatiis, quæ nunc* Campi di Peleſtrina.

Scaptia, *unde uni ex Romanis Tribubus nomen, Veteris Latii oppidum a Plinio inter exciſa ſine veſtigiis numeratum.* ab foſſione; *nam Græcis* σκάπτω *eſt* fodio. *In Prænestino fuiſſe videtur, prope Pedum; vel aliis prope Villam Prædicatorum PP. ad Gallicanum, vulgo* San Paſtore.

Surro *Pagus in aſperrimi montis perdifficili aſcenſu, quibuſdam gradibus in* Serræ *figuram diſpoſitis, unde* Serronis *forte vocabulum, conſtans, in Agro Prænestino; vulgo* Il Serrone.

Vereſis amnis *Prænestinam regionem irrigans. oritur in Agro Prænestino prope Aquæ Virginis Fontes & Ductus, vulgo* Bottino dell' Acqua Vergine. *eſtque Vereſis exigui curſus; quippe qui in Anienem ſe exonerat, inter Strozziorum Fundos* Longhezza & Lonhezzina. *Vereſis autem nunc* Oſa *dicitur. & Diverſorium juxta ipſum*, Oſtaria dell' Oſa.

Via Prænestina *ex Conſularibus una, lapidibus ſtrata; ab* Porta Prænestina, *quæ aliis aliter, &* Nævia & Exquilina & Gabiuſa *dicta eſt, (quamvis has nonnulli diſcriminentur) Prænesten uſque deduxit; hodieque ducit, a Porta, quæ dicitur* Maggiore. *Gabios urbem quondam interſecabat. Et ab Præneste Beneventum uſque producta fuit; quæ tamen in Latinam & Labicanam incidiſſe videtur. modo*: ſtrada di Paleſtrina.

Villa Centroniorum *in ſummis Prænestinis jugis, ſupra ipſum Fortunæ Primigeniæ apicem; occupaſſe creditur vaſtiſſimis, ac ſplendidiſſimis ædificiis locum Pagi, nunc* Caſtello Santo Pietro.

Villa Prænestina Q. Aurelii Symmachi *Conſulis, de qua ipſe meminit ſæpe in ſuis Epiſtolis. Extructa putatur eo loco, qui eſt in ſummo Prænestino Monte contra Centroniorum Prætoria, ſiniſtro adſcendentibus latere. modo* Monte di Paleſtrina.

Vil-

Villa Prænestina Q. Horatii Flacci Poetæ cultissimi . *fuisse creditur in ea Prænestini Agri parte, quæ nunc dicitur* San Giovanni in Camp Orazi . *Ita Blondus, & ipsum secuti nonnulli .*

Zagarolum *oppidum excultum & elegans in Agro Prænestino . E ruinis Prænestinorum & Gabinorum conflatum fuisse creditur . quippe quod medium ferme, Prænesten inter & Gabios, fuerit constitutum . In Ditione nunc Rospiglioforum Principum Romanorum est. qui se* Zagaroli Duces *appellant . Splendidis eorumdem ædibus, & Sacris Templis, aliisque commodis ædificiis ornatur; & agro circa frugum omnium fertili, ac peramœno gaudet . vulgo* Zagarolo *aut* Zagarola . *Cujus appellationis multiplex ab incolis derivatur origo . alii enim,* Sugarolo *proprie dictum, contendunt, ab frequenti* Suberum *arborum satione, proxima olim; quas Italice dicimus* Sugari; *quamvis Etrusce* Suveri . *alii ab hortis Cucurbitarum, vulgo* Zucche; *unde* Zuccarolo *nominandum proprie ajunt . quidam ab dulcedine fructuum,* saccharum *imitantium; unde ab Itala voce* Zuccaro (*quamvis Etrusce* Zucchero) Zuccarolo *appellandum arbitrantur . Alii alias excogitaverunt vocis origines; at omnes incertas . Num* Sagæ veneficæ, *num* Sagi militares Sagarolo *denominaverint ?*

IN-

INDEX CAPITUM.

LIBER DECIMUSSEXTUS.

DE PRÆNESTINIS.

CAP. I. *De Præneſtinæ Urbis Situ, Conditore ac Nomine.* pag. 1
CAP. II. *De Agro Præneſtino, ejuſque Ubertate.* 18
CAP. III. *De Veterum Præneſtinorum Rebus geſtis.* 43
CAP. IV. *De ſingulari Præneſtinorum adverſus Annibalem Fortitudine, & erga Romanos Fide.* 60
CAP. V. *De Civilibus Bellis apud Præneſte decertatis.* 78
CAP. VI. *De Fortunæ Præneſtinæ celeberrimo Templo, ac Sortibus.* 102
CAP. VII. *De Baſilicis, Templis, aliiſque Ædificiis magnificentiſſimum Fortunæ Præneſtinæ Templum olim ornantibus.* 151
CAP. VIII. *De Colonia & Municipio Præneſtinis, eorumque Magiſtratibus, Collegiis, ac variis Monumentis.* 164
CAP. IX. *De Veterum Villis, & Sepulcris in Præneſtino.* 181
CAP. X. *De Præneſtinis Familiis Romæ illuſtribus, deque Claris Viris Præneſtinis.* 196
CAP. XI. *De Via Præneſtina.* 216
CAP. XII. *De Antiquis Latii Oppidis circa Præneſte.* 231

LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

DE GABINIS.

CAP. I. *De Gabiorum Origine, Conditoribus, & Loco, ubi olim ſitum Oppidum.* pag. 243
CAP. II. *De Gabiorum Rebus geſtis, & Interitu.* 253
CAP. III. *De Reliquis Gabiorum Monumentis.* 273

FRANCISCUS RETZ

Præpositus Generalis Societatis Jesu.

CUm Librum, cui titulus; *Vetus Latium Profanum. Tomus Nonus. In quo agitur De Prænestinis & Gabinis. Auctore Josepho Rocco Vulpio Societatis Jesu Sacerdote*, aliquot Societatis ejusdem nostræ Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur; si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia has litteras manu nostra subscriptas & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 29. Decembris 1737.

FRANCISCUS RETZ.

Loco ✠ Sigilli.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. De Rubeis Archiepiſcopus Tarſi Vicesgerens.

APPROBATIONES.

I.

NOnum Tomum Veteris Latii Profani, *in quo agitur de Præneſtinis, & Gabinis, Auctore Joſepho Rocco Vulpio Societatis Jeſu Sacerdote*, ut Libri titulus præfefert, legi tanto avidius, quanto inſigne, & ab Eruditæ Antiquitatis amatoribus exoptatum Opus ad ſuum complementum properare, quod ego anxiis votis flagitabam, jam propemodum video. Subſequetur enim brevi, ut auguror, Decimus Tomus de Tiburtinis, qui laboribus ab Auctore in tanta veterum monumentorum copia undique ſollicite conquirenda, ſerio expendenda, & apte collocanda a pluribus annis inſumptis, finem imponet. Dum ex animo gratulor Clariſſimo, & de his ſtudiis Optime Merito Auctori; Egregii Operis Editioni, ſuffragium meum, hoc mihi munere demandato a Rmo P. Aloyſio Nicolao Ridolfi S. A. P. Magiſtro, lubentiſſime adpono.

Ex Collegio Clementino hac die 21. Septembris 1742.

D. Jo. Franciſcus Baldinus Cler. Reg. Congreg. Somaſchæ Sacrarum Congregationum Rituum & Indicis Conſultor.

II.

TOmum Nonum Veteris Latii Profani agentem *De Prænestinis & Gabinis*, *Auctore Rmo Patre Josepho Rocco Vulpio Societatis Jesu Episcoporum Examinatore*, *& Sacræ Congregationis Indicis Consultore*, jussu Rmi Patris S. P. A. Magistri Aloysii Nicolai Ridolfi, attente perlustravi, in quo aurea Latinæ eloquentiæ sæcula summa cum voluptate sum demiratus rediviva: uberem quoque eruditionem, gravem, & exactam circa retroacta majorum nostrorum tempora, sine ulla Catholicæ Fidei, seu Disciplinæ offensione, vel minima, deprehendi. Quapropter dignum reor, ut in Reipublicæ Litterariæ commodum singulare quantocius Typis demandetur.

Datum Romæ in Monasterio S. Mariæ Novæ die 7. Decembris anno 1742.

D. Benedictus Camposampieri Monachus S. Benedicti Congregationis Olivetanæ Sacræ Theologiæ Lector.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister,

VE-

VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER DECIMUSSEXTUS

DE PRÆNESTINIS.

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Prænestinæ Urbis Situ, Conditore, ac Nomine.

LGIDENSES montes, silvas, & campos, de quibus hactenus a nobis narratum est, Prænestina excipit Regio, quæ Vetus Latium, qua in Orientem solem extenditur, ac septemtriones, definit; suoque agro, & montibus, ab Hernicorum finibus discriminatur. Regionis Caput Prænestе, urbs multiplici titulo celeberrima. Sive enim situm munitissimum, in quo extructa fuit; sive

Fortunæ templum ac ſortes, ab univerſo Romano Orbe quondam adita & frequentata; ſive, tandem, rerum apud hanc urbem geſtarum ab Romanis famam reſpexeris; Prænesten, inter celebratiſſimas veteris Hiſtoriæ urbes, meritiſſime computaveris. Situm ejus Strabo, poſtquam ipſam cum Tibure pluribus comparavit, ita deſcripſit 1.: Ἐρυμνὴ μὲν ἑκατέρα. πολὺ δ' ἐρυμνοτέρα Πραίνεστος. ἄκρον γάρ ἔχει τῆς μὲν πόλεως ὕπερθεν ὄρος ὑψηλὸν: ὄπισθεν δ' ἀπὸ τῆς συνεχούσης ὀρεινῆς αὐχένι διεζευγμένον ὑπεραῖρον, καὶ δυσὶ σταδίοις τούτου πρὸς ὀρθίαν ἀνάβασιν. πρὸς δὲ τῇ ἐρυμνότητι, καὶ διώρυξι κρυπταῖς, διατέτρηται πανταχόθεν, μέχρι τῶν πεδίων. τῆς μὲν ὑδρίας χάριν, ταῖς δὲ ἐξόδων λαθραίων. ſcilicet: *urbs utraque natura loci munita eſt; magis tamen munita Præneſte. nam arcis loco ſupra urbem adjacet mons excelſus, qui a tergo imminentis jugi perpetuitati, anguſto quodam tranſitu, quaſi cervice quadam, avellitur; recto adſcenſu duobus altior ſtadiis. Accedit ad naturalem hanc munitionem; quod undique eſt urbs occultis cuniculis perforata; quorum alii aquæ ducendæ, alii clandeſtinis exitibus inſerviunt*. Hæc Strabo de Præneſtis ſitu. Quæ ipſi, ceteriſque antiquis Scriptoribus, Plauto, Ciceroni, Varroni, Virgilio, Propertio, Horatio, Livio, Dionyſio, Valerio Maximo, Plinio, Statio, Juvenali, Svetonio, Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, Floro, Solino, Itinerariis Tabulis, Servio, Martiano Capellæ, Feſto, Stephani Breviatori, recentioribuſque Hiſtoricis & auctoribus omnibus memoratur. Ex quibus ejuſdem ſitum peculiarius adhuc atque minutius ita deprendimus. In eo Apenninorum dorſo, in quo

1. *Lib. quinto.*

Ti-

Tibur, quodque Sabinos atque Latinos a Samnitibus, Marſis, & Hernicis dividit, ab Urbe Roma in ortum æſtivum mille paſſibus XXI. ſive ſtadiis pl. m. centum & ſeptuaginta, ab Tyrrheno mari ferme totidem, inter Tibur, a quo in Eurum milliariis amplius duodecim, ſeu ſtadiis centum, & Anagniam, a qua fere tantumdem in Ortum abeſt, Prænestina urbs ſedet; excelſo loco, in Romæ conſpectu, in montis ſui meridionali latere. Tota eſt in aſcenſu; antiquituſque urbem ipſam civibus cultam in ſummo montis jugo, in quo nunc quoque arx eſt, ruinæ veterum ædificiorum, & Scriptores complures ſignificant. Præcipue Virgilius in delectu populorum, qui ad Latinum adverſus Æneam concurrerant, recenſendo: 2.

2. Æn. l. 7.

Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt.

Quamquam totum id ſpatium, quod modo ab arce, nunc *Rocca di Paleſtrina*, & Caſtro illi proximo, *Caſtel Santo Pietro*, ſive *Paleſtrina vecchia*, ad planiciem uſque præſentis urbis & muros, qui primi Fortunæ templum cinxiſſe ac muniviſſe perhibentur, antiquam Prænestinam urbem occupaſſe, merito credendum eſt. Siquidem in ipſo ſitu præſentis urbis, præter ingentia Fortunæ templi veſtigia, etiam cuniculi adparent ſub terra effoſſi, & ingentes, ad aquas, qua deducendas, qua cogendas atque ſervandas, cavernæ; quæ omnia in ipſa,

atque adeo intra ipſam antiquam Prænestinam urbem, olim fuiſſe, auctores paſſim nos monent. Ceterum, volventibus annis, aſſiduiſque irruentibus ac ſævientibus bellis, obſidionibus, ac direptionibus, factum, ut ſpatium idem, quod antiqua urbs occupaverat, paullatim defereretur, ac in duas veluti urbes, magno intervallo relicto, divideretur. quemadmodum modo fieri videmus. Siquidem ea pars urbis, quæ a planicie ad ſumma uſque templi Fortunæ veſtigia, in quibus Principes, Columnenſium olim, dudum vero Barberinorum loci dominorum, ædes viſuntur, ab nobilioribus incolitur civibus, ædificiiſque pluribus frequentatur. Exinde autem, ſi aſcenderis ad arcem uſque, Caſtrumque ſive pagum illi conjunctum; non modicum prius montis ſpatium ædificiis omnibus deſtitutum tibi conficiendum erit. Quod tamen & antiquitus ſic jacuiſſe, de Strabonis allatis verbis quidam eruere poſſe ſibi videntur; cum duorum ſtadiorum intervallo ab urbe antiqua Prænestina, jugum illi, arcis loco, imminere, quodam tranſitu, quaſi cervice & collo inter utrumque interpoſito, meminerit. Quidquid tamen id fuerit; certe ſpatium id deſtitutum a civibus atque ædificiis paullatim, crediderim, ob repetitas clades & cædes, quibus Prænestе vaſtata fuit. cultiores quoque incolas, pacificis etiam ſæculis inferiorem urbis partem ad habitandum elegiſſe idcirco, quod opportunior adeundo, & temperatiori cælo foret. relictis in ſuperiori

par-

parte ruricolis, quibus durata magis, ad aſcensûs labores ferendos, tempeſtatumque injurias tolerandas, membra natura dediſſet. Frigoribus enim Prænesſte quammaxime patet. Unde Juvenalis 3.

3. *Satyr.* 3.

Quis timet aut timuit gelida Prænesſte ruinam?

Et Statius, frigida ad æſtivandum ſuburbana loca recenſens 4.,

4. *Silv. l.* 4. *carm.* 4.

Hos Prænesſte ſacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit umbra.

Et ante illos Horatius 5.

5. *Lib.* 3. *Od.* 4.

Seu mihi frigidum
Prænesſte, ſeu Tibur ſupinum,
Seu liquidæ placuere Bajæ.

Quibus veterum teſtimoniis, & noſtrum recentiſſimum ac præſentiſſimum addimus. Cum enim apud Franciſcum Barberinum Cardinalem Ampliſſimum urbis dominum, regiis ædibus Prænesſte exciperemur humaniſſime, utpote ab ſtudiorum noſtrorum Fautore & Mecœnate inclyto; medius licet adhuc Autumnus duceretur; hiemalem nihilominus ferme aerem, Prænesſtino ſub cœlo, ſentiebamus. Saluberrimum tamen, ob loci naturam, liberumque ventorum quaquaverſum tranſitum, atque meatum. Ceterum diviſarum in duas veluti ſejunctas partes urbium, Prænesſtis inſtar, exempla non deſunt in ipſo Latio. Nam, præterquamquod earum plures arcem in editiori jugo collocare conſueverant; ut in Cavarum & Capranicæ, aliorumque oppidorum ſitu accidiſſe adhuc cernimus; Co-

ra-

rana urbs in duas diviſa eſt, medio deſerto campo interſecante. Unde incolis nomina ad utriuſque diſcrimen, *Core a monte*, *Core a valle*, ſive vulgari ruſticorum vocabulo *Coraballo*. quæ in noſtro de Coranis Commentario memoravimus. Montem, in quo Prænesſte ſita eſt, *Aventinum* appellatum, mox *Aretinum*, e Vibio Sequeſtro, quidam tradidere. Quos inter Paulus Merula, & Abrahamus Ortelius, & Franciſcus Schottus. Nos vero cum Suareſio 6., librariorum, qui Vibii Commentaria olim deſcripſerunt, vitio id nomen, loco *Apennini* irrepſiſſe, merito ſuſpicamur; cum in ipſius Vibii Codice trecentis jam ab hinc annis deſcripto, legerimus: *Apenninum Italiæ uſque Prænesſte*: quamvis etiam in vetuſta editione Romana legatur: *Aventinum, in quo Civitas Prænesſte*. Cum enim in ipſo Apennino hanc urbem ſitam videamus, nullaque Aventini montis, in quo Prænesſte fundata fuerit, antiquos apud auctores, Vibii ſuſpectum locum ſi exceperis, mentio ſit; & Aventinus mons, e ſeptem urbis Romæ collibus unus fuerit; prudenter, ut mihi quidem videtur, *Aventinum* pro *Apennino* in Vibiano Codice, editiſque ex illo exemplis, operarum vitio irrepſiſſe, judicamus. De diſtantia quoque Prænesſtis ab urbe Roma non ſatis inter auctores convenit. Strabo enim, ducentis eam ſtadiis abfuiſſe, ſcripſit. ait enim de Tibure atque Prænesſte urbibus, quas pluribus invicem comparat: *diſtant inter ſe ſtadia centum. a Roma vero Prænesſtus alterum tantum.*

6. *Suar. Præn. Antiq. l. 1. c. 5.*

Por-

Porro ſtadia ducenta, Strabonis ævo, Romana milliaria commodum quinque & viginti conficiebant. quod ſpatium modo Romam inter atque Prænesſte non invenimus; cum Suaresſius hujus urbis monimentorum omnium veſtigator perdiligens, viginti & uno tantum milliariis Prænesſte ab Roma diſtare, diſerte ſcripſerit. Ante ipſum vero Paulus Merula, duos & viginti mille paſſus abesſe, tradidit. & Eutropius, ipſum apud Merulam, octodecim tantummodo. Quæ ſententiarum varietas, (ſi tamen conciliari omnes poſſint ullatenus cum veritate) inde ortum duxiſſe videtur, quod Prænesſtis ab Urbe diſtantiam diverſis fortaſſe viis, quin etiam diverſo termino uſi, Scriptores hi computaverint. Nam ad vias quidem quod attinet, tum Prænesſtina, tum Latina Prænesſte ducebant. Adiri etiam poterat non incommode Collatinâ, Gabinâ Labicanâ, ac denique Tiburtinâ. Diſtantiæ vero termini tum Romæ tum Prænesſte diverſi admodum eſſe potuerunt. Romæ quidem tum milliare aureum, ſive columna milliaria in Foro Romano poſita, in qua viæ omnes Conſulares, quæ per totum Romanum Orbem ducebant, deſcriptæ erant; tum Porta Urbis, ſive Exquilina, ſive Collina, ſive alia, diſtantiæ principium ſumi potuit. Prænesſte vero, tum infima murorum pars in planicie, unde Prænesſtina urbs incipiebat, tum ſupremus arcis in ſummo jugo conſtructæ apex, pro termino potuit conſtitui. unde plurium certe milliariorum di-

diſcrimen oriri poterat. Ceterum, non nugas ſed rem ſerio agentibus, recto tramite, conſuetoſque intra terminos diſtantiæ locorum ſumi debent. Quare a Porta urbis Romæ, unde Viâ Prænestinâ, ad Portam uſque urbis Prænestes, quæ prima eadem Viâ occurreret, intervalli menſura utramque inter urbem ſumenda fuit. Quam viginti & unius milliarii modo eſſe, cum Suareſio nos confirmamus. quidquid tandem de antiquorum ſæculorum diſtantia dicendum fuerit. Ad Vereſim amnem ſita eſt Prænestе; qui tamen ad radices, neque ita proxime, Prænestini montis decurrit. Ex illa peramœnus quaquaverſum longe lateque proſpectus eſt. Verum, cum de ejus Agro enucleatius infra nobis ſit differendum; eo viciniam Prænestis ejuſdemque agri fines populoſque conterminos & loca ſingula nominatim adſignare ac recenſere differimus. Et hic quidem Prænestinæ urbis fuit, eſtque adhuc hodie ſitus. quod certum eſt.

Incertior tamen urbis ejuſdem eſt auctor, cum a pluribus eam fundatam Veteres Scriptores tradiderint. Omnium celeberrima ſuper hoc eſt Maronis auctoritas; cui, quamquam poetæ, ac proinde Fabulatori, ſæculorum tamen ſeries ac fama ſubſcribere ſemper viſa eſt. Cæculum hic Vulcani filium Prænestinæ urbis fundatorem diſerte nominat celeberrimis verſibus, in Latinorum adverſus Æneam populorum ac ducum delectu recenſendo: 7.

7. L. 7. v. 678. & ſeqq.

Nec

Nec Prænestinæ Fundator defuit urbis,
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,
Inventumque focis omnis quem credidit ætas,
Cæculus; hunc Legio late comitatur agrestis.
Quique altum Prænestе viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, & roscida rivis
Hernica saxa colunt, quos dives Anagnia pascit,
Quos, Amasene pater: non illis omnibus arma,
Nec clypei, curruque sonant; pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit, pars spicula gestat
Bina manu, fulvoque lupi de pelle galeros,
Tegmen habet capiti, vestigia nuda sinistri
Instituere pedes; crudus tegit altera pero.

Festus quoque a Cæculo Prænesten conditam tradidit, cujus posteros Romanos Cæcilios fuisse putavit; quamvis alii, a Cæcade Trojano, Æneæ comite, Romanos Cæcilios duxisse originem, existimaverint. Atque hæc Prænestinorum librorum sententia fuit, Solini testimonio, ajentis 8. a Cæculo ædificatam Prænesten, Prænestinos antiquos libros sonasse. De Cæculo autem apud Servium in Virgilii Commentariis talis est fabula. *Prænestе..... erant Pontifices & dii Indigetes, sicut etiam Romæ. erant etiam duo fratres, qui Divi adpellabantur. Horum soror, dum ad focum sederet, desiliens scintilla ejus uterum percussit. inde dicitur concepisse. Postea enixa puerum juxta templum Jovis abjecit. quem virgines aquatum euntes, juxta ignem inventum sustulerunt, quia haud longe a fonte erat. Unde Vulcani dictus est filius.*

8. C. 8. Polyhistor.

Cæculus autem ideo, quia oculis minoribus fuit. quam rem frequenter efficit fumus. Hic poſtea, collecta multitudine, poſtquam diu latrocinatus eſt; Præneſtinam Civitatem in montibus condidit. & cum ad ludos vicinos populos invitaſſet, cœpit eos hortari, ut ſecum habitarent; & pro gloria jactare, ſe filium eſſe Vulcani. quod cum illi non crederent; invocato Vulcano, ut eum filium comprobaret, omnis illius multitudinis chorus eſt flamma circumdatus. quo facto commoti omnes ſimul habitaverunt. Eamdem fabulam paullo aliter Joannes Boccaccius expoſuit. Ait enim favillam, qua conceptus eſt Cæculus, in gremium non quidem duorum divorum ſororis, ut Servius, ſed Amatæ mulieris, forte Latini regis uxoris, de qua plura Virgilius, evolaſſe; Cæculum quoque ita nominatum, non quod exiguis, ſed quod lippis oculis eſſet; denique ruſticos illos ludorum invitamento ad ſecum habitandum coactos a Cæculo, quod ejus natalibus obloquerentur, peremtos fulmine fuiſſe, ab Vulcano immiſſo. Quod tamen poſtremum commentum infulſum prorſus eſt atque inficetum. Si enim ruſtici ab Cæculo congregati ad initia Præneſtis incolenda, fulmine perierunt ab Vulcano immiſſo; quomodo iidem ope Vulcani Cæculo adhæſerunt, cumque eo primi novam urbem incoluerunt? At hæc demum fabularum natura eſt atque conditio, ut ſemper mobiles, dum aliud ex alio commentum intexunt, ſeſe tandem ipſæ deſtruant manifeſtiſſime; dum contraria ſecum atque pugnantia frontibus ad-

adverſis pergunt inepte nimis componere. Ceterum Cæculum Vulcano genitum hactenus jactato miraculo, & divorum Prænestinorum sorore, sive Amatâ reginâ natum ætas omnis, Prænestinorum librorum auctoritatem secuta, Prænestinæ urbis Conditorem putavit. Porro divi illi duo, quorum soror Cæculi mater credita fuit, *Digiti* aliis aut *Digitii*, sive *Dactyli* ac *Dactyli Idaei* Græco vocabulo dicti sunt. Eosdemque cum Laribus fuisse memorant; *Digitos* hinc appellatos, quod in triviis extenso digito prostarent eorum simulacra, ad viam ultro citroque meantibus ostendendam. Unde, quod in *compitis* starent, *Compitales* quoque dii dicti sunt.

Penitiores de his fabulas atque interiora commenta requirentibus Suaresius in Præneste sua antiqua illustrata erit adeundus 9.. Nobis enim ad certiora properantibus diutius hisce in incertissimis fabulosissimisque tricis evolvendis immorari non vacat. Alii itaque, Prænestinæ urbis Conditorem non Cæculum, sed Prænestum fuisse, memoraverunt. Hunc Ulyssis nepotem, tradunt, Solinus, Martianus Capella, & Stephani Breviator Hermolaus. qui omnes Zenodoti Troezenii auctoritatem secuti sunt, primam Prænestinæ urbis originem ad Prænestum, sive Prænesten, Latini & Amatæ Latinorum regum filium, Laviniæ fratrem referentis, in sua Umbricæ Gentis historia; quam, Dionysii 10. testimonio, eumdem scripsisse, cognovimus. Nepos autem Ulyssis Prænestus hic, Prænestinæ urbis

9. *Cap. 2. l. 1.*

10. *Dionys. antiq. K. l. 2.*

Conditor habitus, idcirco his auctoribus dicitur; quod, Latinum Prænesti patrem ex Ulysse ac Circe genitum, iidem crediderunt. Tertia tandem de Prænestinæ urbis auctore sententia eorum fuit, qui Telegono Ulyssis filio, quem etiam Tusculum ædificasse memoravimus, conditæ Prænestis gloriam adjudicarunt. Horum chorum ex Aristocle Plutarchus duxit; cujus ex 11. Cluverio depromta verba sic sonant. *Telegonus, Ulyssis & Circes filius, missus ad indagandum patrem, monitus est, ut ibi urbem conderet, ubi serta gerentes agricolas saltare videret. quumque in quemdam Italiæ locum devenisset; offendit colonos ramis ilignis redimitos choreis vacare. itaque urbem ibi condidit; & ab rei argumento Priniſtum nominavit. (quod vocabulum Romani detortum dicunt, Prænestus) ut Aristocles tradit in Italicarum rerum libro tertio.* In hanc sententiam detorqueri, quibusdam Propertii illa carmina potuisse visa sunt, in quibus Cynthiam ab vana sortium indagine deterrens, sic cecinit: 12.

11. *In Parallelis ap. Cluv. l. 3. Ital. antiq. p. mihi* 952.

12. *Lib. 2. Elegia* 21.

Nam quid Prænestis dubias, o Cynthia, sortes?
Quid petis Æaei mœnia Telegoni?

Perinde ac si poeta utroque hoc versu, unam Prænestinam urbem & sortes tantum in templo Primigeniæ Fortunæ ibidem consuli solitas, nominare ac designare voluerit. In hanc certe sententiam iviſſe Richardus Bartholinus 13. videtur, dum Prænesten, *Fatidicam Æaei hospitis urbem* appellavit. Nobis tamen id minime probatur. siquidem Propertius insulse bis idem, Batti more, repetivisset; & nostro

13. *Suares l. 1. c. 2.*

de

de Tuſculanis libro, optimis cum auctoribus, oſtendimus, per Æaei Telegoni mœnia, Tuſculanam urbem a Propertio deſignatam fuiſſe; in qua pariter oracula & ſortes erant, quas mobiliſſima mulierecula Cynthia identidem conſulebat. cum & Lanuvium ad Junonem Soſpitam, & Tibur ad Herculem, & Ariciam ad Dianam, alioque ad alia celebria ſuburbana oracula ac numina conſulenda, ex inſtabilis quammaxime animi levitate, excurriſſe eamdem frequenter, de Propertio ipſo cognoverimus. Porro num Cæculus, num Prænestus, num Telegonus, Prænestinæ urbis conditor revera fuerit, adhuc ſub judice lis eſt; ac per me eſto, indeciſam enim lubens relinquo. cum non noſtrum ſit, tot, tamque magnos inter auctores, tantam componere litem. Illud quidem cum Cluverio prudenter colligere mihi poſſe videor, Græcæ originis Prænestinam urbem fuiſſe, atque a primis Latii Veteris incolis conditam, ſive Siculis, ſive Pelaſgis, ſive Aboriginibus. Namque, ut a Siculis quoque antiquiſſimis Latii colonis Prænesten olim occupatam fuiſſe credamus, injecit ſcrupulum Maro; qui, quamquam libro ſeptimo, in delectu Latinorum populorum adverſus Æneam recenſendo, Cæculum Prænestinæ urbis Fundatorem fuiſſe, diſerte pronuntiaſſet; libro tamen octavo Evandrum poſtea introducit, filium ſuum Pallanta, quem in auxilium Æneæ mittebat, ſic alloquentem.

O, mihi præteritos referat ſi Juppiter annos,

Qua-

Qualis eram, cum primam aciem Præneſte ſub ipſa
Stravi; ſcutorumque incendi victor acervos.
Et regem hac Herilum dextra ſub Tartara miſi:
Naſcenti, cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat; terna arma movenda;
Ter letho ſternendus erat: cui tunc tamen omnes
Abſtulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer uſquam,
Gnate, tuo.

Certe hic Herilus Siculorum rex fuiſſe videtur, qui Prænesſte regnaverit; cum Feronia Campaniæ nympha, ad Lirim amnem culta, ei mater extitiſſe dicatur. Nodum quidem hi verſus cum aliis, quos de Cæculo, eodem ex Marone, nuper protulimus, eumque valde implicitum, intexere videntur; quonam pacto, utroque hoc loco ſibi conſtiterit Poeta. Si enim Cœculus Prænestinæ Fundator urbis dicitur, idemque firma ſane & ad prælliandum apta adhuc ætate Turno adfuiſſe adverſus Æneam perhibetur; ac proinde Prænestinæ urbis cunabula proxima Turni adverſus Æneam bello ſic ſtatuuntur: quonam porro pacto, quave narrationis conſtantia, Evander jam ſenex eidem bello Pallanta filium miſſurus, ſe juvenem ſub ipſa Prænesſte Herilum trium animarum regem orco miſiſſe jactans inducitur? Quo facto Evander tam cito conſenuit? Cæculus Prænestinæ urbis Fundator vividus in Turni caſtris militat? Rexque Herilus pugnavit Prænesſte ſub ipſa cum juvene Evandro?

cum

cum Præneste nonnisi ab Cæculo, juvene adhuc, Evandro jam sene, fundata fuerit? Vides nodum non equidem in scirpo esse, sed potius Gordii aliquid illius habere. Miror, Tarquinium Gallutium, Virgilii defensorem illum acerrimum & ingeniosissimum, hunc nodum non solum non explicuisse, verum dissimulasse omnino ac præteriisse in suis Virgilianis vindiciis. Soluit illum tamen utcumque Ruaeus, ita magni vatis hæc duo testimonia conciliari posse aliquatenus judicans; si dixerimus, Prænesten ab Siculis prius occupatam, nec tamen multum munitam operibus, sub Herilo rege fuisse, juvenili Evandri ætate; postea vero ab Cæculo munitam mœnibus, Evandro sene; habitumque ipsum Cæculum pro Fundatore. Cui tamen nodi explicationi repugnare videntur, quæ de Cæculi fabula supra ex Servio depromsimus; illum scilicet primum omnium locum Prænestinæ urbis habitasse, & per ludorum speciem, & prodigia Colonos ad illam incolendam congregasse. Verum hæc hactenus, qui enim diutius ea velit persequi atque discutere; nihilo melius operam collocaturum illum existimem, quam qui de tribus Herili animis, quas a matre Feronia rex hic Prænestinus acceperat; anxiam ac bene longam quæstionem instituerit. Profecto ex hactenus enarratis illud tandem colligendum (nec pudet) Prænestinæ urbis Conditorem incertum esse. Nec pudet, inquam, cum id potius summæ sit antiquitatis, adeoque nobilitatis argumen-

mentum; ſi primam urbium originem, primoſque earum auctores nemo, ne lynceus quidem, in veterum libris perveſtigandis, eruere valuerit. Quod Romæ urbium principi accidiſſe, ſciunt omnes. Cujus quamquam vulgatior fama originem ad Romulum referat; plurimæ tamen Priſcorum Scriptorum diverſæ de eadem ſententiæ recenſentur, ad alios auctores tanti primordia Operis referentes.

Ceterum Prænestina urbs Latinis conſtanter *Præneſte* appellata eſt. Græcis vocabulo nonnihil inflexo, nunc ὁ Πραίνεστος, nunc τὸ Πραίνεστον, ἡ etiam Πραινέστη, *Præneſtus*, *Præneſton*, & *hæc Præneſte*, dicta fuit. At Latini vocem ipſam *Præneſte*, nunc neutro genere, ut Virgilius *altum Præneſte*, nunc fœmineo, ut idem Poeta, *Præneſte ſub ipſa*, extulerunt. Nos hanc poſtremam loquendi rationem fere ſemper ſecuti ſumus, utpote auribus magis conſonam, cum de urbe ſit ſermo. Quamquam vox hæc & nomen Prænestinæ urbis cum fœminei generis eſt, primum caſum *Præneſte* aut *Præneſtis*, quartum *Præneſten* requirat; ſecus vero dum neutro genere effertur, *Præneſte*. tunc enim ſecundus tantum caſus *Præneſtis* eſt. reliqui non inflectuntur. Urbis Cives conſtanter Latinis *Præneſtini* ſunt nominati. Græcis vero Πραινέστοι Πραινέστριοι, Πραινεστῶοι. *Præneſtni*, *Præneſtrii* & *Præneſtini*. Sequioribus ac barbaricis ſæculis, tum urbis, tum civium nomina nonnihil immutata ſunt; ut & *Penetre*, & *Peneſtra*, & *Peneſtrina*, & *Peneſtrinenſis* civitas, *Peneſtrinenſeſque* incolæ, variis tem-

temporibus, appellarentur. Hodie quoque non una corrupti vocabuli inflexione pronunciatur. Quamquam enim communior appellatio sit *Palestrina*; non desunt nihilominus, qui hanc urbem *Pilastrina*, *Peleſtrina*, & *Pileſtrina* balbutiant. Nominis Latini *Præneste* origo non una ab Scriptoribus memoratur. Cato enim, Servio teste, sic dictam urbem scripsit, quod excelso loco constituta, *montibus præstet*. Cui sententiæ subscripsit Festus, inquiens, *Præneste dicta est, quia is locus, quo condita est, montibus præstet*. At Servius aliam quoque nominis originem profert; dictamque putat ab ilicibus, quæ πρῖνοι *Prini* Græcis dicuntur; quod in monte ilicibus frequenter consito fundata fuerit. Alii ab ilicibus utique; verum non ibi frequenter consitis, sed, quarum ramis coronati erant rustici illi, in quos, juxta oraculi vaticinium, vel Telegonus vel Cæculus primo inciderunt; condendæque urbis auspicium ceperunt. Quod mihi verisimilius inde fit scilicet, quia Præneste etiam *Stephanen*, ac *Polystephanon*, h. e. *coronam*, seu *multarum coronarum* urbem appellatam de Plinio 14. & Strabone didicimus. Plinius in recen- 14. *Lib.* 3. *c.* 5.
sendis Latii populis, *Prænestini*, inquit, *urbe quondam Stephane dicta*. Strabo autem de Tibure ac Præneste, quas urbes pluribus inter se comparat, locutus: *Græcanicam*, inquit, *utramque tradunt esse urbem. Ceterum Prænestum olim adpellatam fuisse Polystephanon*. Quem Strabonis locum perperam Breviator Stephani, ut alia plurima aliorum Auctorum,

rum, interpretatus, Tibur *Polyſtephanon* appellatum fuiſſe, ſcripſit. Multarum autem coronarum urbem Prænesten idcirco dictam olim, putat Suaresius; quod munita eſſet murorum coronis: ut Dionyſio Afro Croton urbs appellatur εὐστέφανος *bene coronata*, h. e. cincta murorum corona, qui pinnis, quaſi coronis, eam circumdarent. Vel quod multis eſſet coronis digna; vel a coronis, quibus ruſtici a Conditore congregati, quique primi eam incoluerunt, caput coronati erant. Vel denique omnium optime, a copia coronarum, quibus quotannis Fortunæ ſimulacrum in Prænestino celeberrimo Fano coronabatur.

CAPUT II.

De Agro Prænestino ejuſque Ubertate.

SED jam, ſitu, Conditore, ac nomine Prænestinæ urbis hactenus utcumque expoſitis, ad ejuſdem agrum luſtrandum pergamus. Fuit hic olim latior multo, quam ſit in præſens; habuitque Præneste primis Romanæ Reipublicæ ſæculis, oppida ſub ſe octo, quorum ex colonis atque agris, collectis viribus, terrorem Romanis aliquando incutere viſa eſt. Florus: 1. *Sora, quis credat? & Algidum terrori fuere: at Satricum atque Corniculum Provinciæ. De Veiis & Bœuillis, pudet, ſed triumphavimus.*

1. L. 1.

Ti-

Tibur, nunc ſuburbanum, & æſtivæ Prænesſte deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur. Veterrimorum tamen horum oppidorum nomina, quibus Prænestini dominabantur, nemo, quod quidem noverim, recenſivit. Si autem, ubi certiora deſunt, conjecturis prudentibus aliquis conceditur locus; ea fuiſſe, quæ in Prænestis vicinia legimus conſtituta, non immerito exiſtimaverim. puta oppidum Sacriportus, Ecetra, Bivium, Pedum, Roboraria, Scaptia, Vitellia, Corbio. Fines certe Prænestini agri antiquitus hi fuiſſe videntur. Ab Orientis quidem ſolis plaga, in meridiem pergentibus, Anagninus ager, & Compitum Anagninum; deinde Signini, Norbani, Corani montes atque agri in Meridiem ipſum; in quem pariter ager Albanus cum ſuo monte. In Occidentem vero ſolem, Algidenſis regio. Exinde Tuſculanus, Labicanus, atque Gabinus ager. In ſeptemtriones denique Tiburtinus ager, & Anio fluvius, cum Æquicolis, ad ipſos uſque fontes Anienis. Magna Prænestini agri ubertas & rerum copia, utpote ex quo urbs ipſa Prænesſte *opulentiſſima* ab Strabone atque Appiano merito dici potuerit. Magna amœnitas, cum æſtivas Romanorum delicias in Prænestino fuiſſe, nuper ex Floro memoraverimus. Quæ autem ad ubertatem in eo præcipue ſpectantia ab Scriptoribus celebrantur, primo quidem ſunt aquæ, quibus tota hæc regio copioſe irrigatur. Hæ de ſummis montium jugis, per cuniculos immenſo opere terebra-

tos, in formas ſive ciſternas ad urbis uſus poſtquam derivatæ ſunt; ad ſubjectos deinde colles, ac demum humiles campos, fœcundandos deſcendunt. Ipſa vero Prænestini agri planicies, ac Prænestina regio univerſa, ut cum Srabone loquar, Vereſi amne irrigatur ῥεῖ δὲ διὰ τῆς χώρας ὑυέρσις ποταμὸς. Hunc ex Gallicano oppido in Anienem fluere putat Cluverius: Merula Verreſtim vocat; Leander Albertus *Verreſto*. aliis autem dicitur *Verde*. at Holſtenio *Oſa*; qui addit etiam, hunc fluvium juxta Prænestinam Viam & Lacum Burranum ſive Sanctæ Praxedis excurrere; ad Caſtellum Sancti Juliani defluere; & paullo ſupra fontem Salonium in Anienem ſeſe exonerare. Aquas Prænestinas Blondus quoque memoravit. Humida certe tota hæc planicies atque irrigua deprenditur ex eo præcipue, quod feliciſſime ſegetes educat; quæ maturius etiam quam alibi luxuriantur & adaugentur. Ceterum irriguæ regionis & illud minime dubium argumentum, arborum frequentiſſimarum ingentes ac proceræ ſilvæ. Itaque de Prænestino præcipue vera ſunt, quæ de Latinorum omnium agro ſcripſit Teophraſtus: 2. *Latinorum autem ager univerſus aquis ſcatet: & planicies quidem habet myrtum atque ſciſcimam mirandam; tantæ namque longitudinis eam ſecant, ut apta ſit ad navem e Tyrrhenicis pro carina. Montana vero regio piceam & abietem.* cetera. *Sciſcimam* Latinus interpres vertit Teophraſti ὀξύνα *oxyin*. Plinius *Oſtryam* vocare viſus eſt; convenitque

2. Lib. 4. c. 11. de Planis.

in-

inter Plantarios, fagi eam ſpeciem eſſe, quæ altiſſime creſcat. Addam tamen Plinii 3. verba, ajentis, has arbores plurimum & in Græcia naſci. *Gignit (Græcia) arborem Oſtryn, quam & oſtryan vocant, ſolitariam circa ſaxa aquoſa, ſimilem fraxino cortice & ramis, folio piri, paulo tamen longioribus craſſioribuſque ac rugoſis inciſuris, quæ per totam diſcurrunt: ſemine hordeo ſimile & colore. Materies eſt dura, atque firma: qua in domum illata, difficiles partus fieri produnt; morteſque miſeras.* Ex hiſce ſummæ proceritatis arboribus Prænestinam planiciem nunc quoque longe lateque conſitam cernimus, ad delicias maxime viarum, quibus Barberinorum delicatæ villæ adeuntur; juxta quas hinc atque hinc altiſſimæ arbores limite longiſſimo iter obumbrant, proſpectu pulcherrimo. Ilicibus vero montana ſunt conſita, de quibus etiam Urbi, Græco ex vocabulo, nomen translatum, plures exiſtimavere. Ex iis ſilva in præſens quoque urbis mœnibus imminet, ſtirpibus vetuſtiſſimis. Fructiferas autem atque hominibus veſcas arbores Prænestinus ager idem plurimas educat; quas inter nucum celebris apud Scriptores eſt fama. Cato enim inter præcipuarum genera, quibus ſuburbanum hortum conferi præcipit, eas ſic recenſuit: 4. *Suburbe hortum ..... nuces Calvas Avellanas, Prænestinas, & Græcas. Hæc facito uti ſerantur.* Plinius vero de Catone locutus, deque nucum generibus, quas ille in ſuo de Re ruſtica Commentario ſerendas cum laude tradit, hæc repetit 5..

3. *Lib.* 13. *c.* 21.

4. *De R. R. c.* 8.

5. *Lib.* 15. *c.* 22.

Hæc

Hæc arbor, an fuerit in Italia, Catonis ætate, dubitatur, quoniam Græcas nominat, quas quidem & in juglandium genere ſervant. Adjicit præterea Avellanas, & galbas Prænestinas, quas maxime laudat, & conditas ollis in terra ſervari virides tradit. Porro calvæ ſeu galbæ nuces, quarum Prænestinus ager ob feracitatem, his auctoribus commendatur, nuces erant, quæ fructum calvum ferebant, nempe ſummo apice nudum, nec undique putamine corticis obductum, qualis eſt avellanarum, quæ ab oppidis Abella, & Avellino prope Neapolim nomen accepere; ſiquidem & Abellanæ, dictæ ſunt. Calva vero nux Græcis *κάρυον βασιλικὸν* nux regia nominatur. Vox autem *galba* pro eodem atque *calva* ab Catone ſumi videtur, quaſi *glabra*, h. e. depilata, ob eam, quam diximus, in hujuſmodi fructibus calvitiem. Iiſdem de nucibus Prænestinis & illud apud Macrobium, [6] ex perſona Servii Grammatici, illuſtre teſtimonium habemus: *Nux hæc Avellana, ſeu Prænestina, quæ eadem ex arbore eſt, quæ dicitur Corylos, de qua Virgilius dicit*: CORYLUM SERE, *&*, HIC INTER DENSAS CORYLOS. *Eſt autem natio hominum juxta Prænestinum agrum, qui Carſitani vocantur, ἀπὸ τῶν καρύων, cujus rei meminit Varro in Loghiſtorico, qui inſcribitur Marius de Fortuna. inde ſcilicet Prænestinæ nuces.* Quod autem hi fructus tam frequentes ac ſapidi in agro Prænestino provenirent; hinc factum, ut iiſdem Prænestini veſci quam lubentiſſime conſueverint; notatique fuerint, quaſi eo unico uterentur ci-

6. *Saturnal. l. 3. c. 14.*

cibo. Unde illud Nævii antiquiſſimi Poetæ Comici, apud Macrobium & Feſtum, ſuper hoc, monumentum legimus, ex ea Nævii fabula deſumtum, quæ *Ariolus* inſcribebatur. id tale eſt.

---------- *heri*
Quis apud te? Prænestini, & Lanuvini hoſpites.
Suopte utroſque decuit acceptos cibo:
Alteris inanem bulbam madidantem dare,
Alteris nuces in proclivi profundere.

Quo ultimo verſu & ille antiquiſſimus apud Prænestinos ceteroſque Latinos mos fuiſſe innuitur, ut nucibus eorum pueri luderent in proclive profuſis ac ſparſis, quemadmodum paſſim etiam a noſtris pueris fieri videmus. Unde inter cetera, quæ proferri poſſent veterum de hoc more teſtimonia, illud eſt Martialis

Jam triſtis nucibus puer relictis 7.
Clamoſo revocatur a magiſtro.

7. *Ep.* 84. *lib.* 5.

Sed neque hæc de Prænestinis nucibus ſatis. nomen enim ipſum vicini populi, ac Romani maxime, a nucibus in Prænestinos per jocum tranſtulerunt. Num vero, quia eorum agro hunc fructum copioſiſſime educante, nucibus quamplurimum veſcerentur; num vero ex eo, quod Secundo Punico bello intra Caſilini oppidi (quod nunc Capua eſt) mœnia concluſi ab Annibale Prænestini Romanorum ſocii, diuturnaque obſeſſione ad famem pene ultimam redacti, nucibus per Vulturnum demiſſis veſci coacti fuiſſent; certum non eſt. Feſtus quidem

hinc

hinc nomen ait derivatum. inquit enim: *Nuculas Prænestinos appellabant antiqui, quod inclusi a Pœnis Casilini famem nucibus sustentarunt*. Nuculas quidem Prænestinos dictos Cicero ex Lucilio protulit. Loquens enim, in suis de Oratore libris, de dictis exambiguo, hunc Lucilii versum 8. memoravit: *Quid Decius? Nuculam, an confixum vis facere, inquit.* in voce Nucula ludens, quæ & Avellanam sive Prænestinam nucem, & Prænestinum hominem vulgo significabat. Et Tullius ipse Lucium Antonium Triumviri fratrem Prænestæ in præsidio commorantem 9. *Nuculam*, quasi Prænestinum, sic nominavit. *Jacent beneficia Nuculæ; friget patronus Antonius*. Unde legimus apud Paullum Diaconum, horum Scriptorum aliorumque fortasse, quos ipse legerat, auctoritate suffultum: *Nuculas Prænestinos appellabant*. quod & ex illo Macrobii, nuper allato, confirmari potest, ajentis, quosdam scilicet Prænestini agri colonos *Carsitanos* nominatos ab nucibus, quæ Græcis *carya* dicuntur.

8. L. 2.

9. Philip. 6.

Jam vero inter Agri Prænestini flores Rosa maxime commendatur. Certe Plinius rosarum genera speciesque enumerans Prænestinæ primatum ac principatum inter ceteras omnes attribuit. Ait enim 10.: *Genera ejus Nostri fecere celeberrima Prænestinam & Campanam. Addidere alii Milesiam, cujus sit ardentissimus colos, non excedentis duodena folia. Proximam ei Trachiniam minus rubentem. Mox Alabandicam viliorem albicantibus foliis. Utilissimam vero plurimis,*

10. Lib. 21. c. 4.

mis, ſed minutiſſimis ſpineolam. Differunt enim multitudine foliorum, aſperitate, lævore, colore, odore. Pauciſſima quina folia, ac deinde numeroſiora: cum ſit genus ejus, quam centifoliam vocant: quæ eſt in Campania Italiæ. cetera. Plinii hocce teſtimonium per extenſum placuit recitare; quod ex eo Prænestinarum roſarum præſtantia apertiſſime ſupra ceteras colligatur. Cum enim Plinius Prænestinam roſam primo loco recenſeat; eamque omnium celeberrimam cum Campana ſimul apud Latinos fuiſſe memoret; explicans deinde aliarum naturam ac dotes, optime ex earum comparatione, quænam potiſſimum eſſet Prænestinæ pulchritudo ac præſtantia ſupra ceteras omnes, deprenditur. Itaque fuit Roſa Prænestina commendabilis maxime, multitudine foliorum, quibus Campanam ipſam centifoliam vel ſuperabat, vel certe æquabat; ardentiſſimo coloris genere, quo Mileſiam, coloris ceteroqui vividiſſimi, vincebat; utilitate atque odore, quibus ſpecies omnes antecellebat. Quare & in coronis & in menſis ad delicias frequentiſſime adhiberi ſolita. Unde Martialis de corolla roſea. 11.

11. *Ep.* 60. *l.* 9.

Seu Prænestino te villica legit in horto.

Et in unguentis ad medicamenta atque fragrantiam plurimus ejuſdem uſus. Quemadmodum enim inter ipſos flores, Prænestinæ flos roſæ prior reliquis habebatur, ita inter unguenta, *rhodinum* h. e. roſaceum, quod ex Prænestinis roſis componebatur, præſtantius ceteris erat. Plinius ſuo id quoque

teſtimonio confirmat. De unguentis enim ediſſerens, maximeque de iis, quæ ex floribus coaleſcebant: 12. *Irinum*, inquit, *Corinthi diu maxime placuit; poſtea Cyzici. Simili modo rhodinum Phaſeli. quam gloriam abſtulere Neapolis, Capua, Præneſte.* Hæc enim Plinii ſententia eſt, (ne forte, preſſus, conciſus, atque ſenſatus ejus ſermo alicui negocium faceſſat) Cum Priſci homines irinum unguentum, quod ſcilicet, ex iride flore fieret, illud maxime probarent, quod Corinthi componebatur; palmam deinde ac pretium illi unguentum aliud ex iride pariter, quod Cyzici, in Helleſponti urbe celebri, elaborabatur, eripuit. Eadem viciſſitudine cum prius unguentum rhodinum, nempe ex roſis compactum, quæ Græcis ῥόδον *rhodon* dicuntur, cum prius, inquam, roſaceum unguentum omnium optimum ex Phaſelo urbe provenire vulgo exiſtimaretur; mox hanc gloriam ejus urbis unguento præripuere unguenta roſacea, quæ ex celeberrimis Campanis, ac Prænestinis roſis confieri conſuevere. Ceterum illa omnium in Prænestinis roſis dos præclariſſima cenſenda eſt, quæ rara admodum in floribus, atque adeo in pulcrioribus, & odoratioribus rariſſima eſſe ſolet; diuturnitas ac perpetuitas. Quo enim fato, neſcias, ea quæ reliquis pulcriora ſunt germina, eodem Plinio infortunium deplorante, præ reliquis eadem breviſſimæ ſunt vitæ, celerrimique interitus. Prænestina tamen roſa, eadem omnium præſtantiſſima, atque omnium diuturniſſima, ajente

12. *Lib.13. c.1.*

Pli-

Plinio. 13. *Præcox* Campana, ſera Mileſia; noviſſime tamen deſinit *Præneſtina*. Quare illam & Pæſtanis ceteroquin celebratiſſimis, quæ bis anno florebant, juxta illud Maronis *biferique roſaria Pæſti*, merito anteferemus. Præneſtinæ ſpeciem longe lateque propagatam, eam eſſe crediderim, quam vel iniquiſſimis anni temporibus provenientem vocamus vulgo *roſa d'ogni meſe*. Hanc enim Prænestinarum dotes referentem intuemur; ac maxime odorem & diuturnitatem; cum alienis menſibus ita floreat, quaſi vernis; ac fragrantiſſima ſit. Quod præſentiſſimo proprio experimento, dum hæc ſcribimus, confirmamus. Licet enim horridus nunc rigeat December quammaxime, ac Boreæ flatibus & pruinis tellus adſtringatur; præſentes attamen in teſtulis, ac terræ etiam alte defoſſas florentes Prænestinas roſas aſpicimus, vividiſſimo atque odoratiſſimo flore, cujus non modice ſcribentes fragrantia demulcet. Quæ quamquam ita ſint; genus tamen aliud roſæ eſt apud Herbarios, medicamentis plurimum utile, quam *Prænestinam* appellant. Illam ita ex Ferrario noſtro atque aliis Suareſius deſcripſit. *Flore ardenti, odore nullo probabilis roſa, uno glorioſa nomine, centifolia, quam Plinius Campanam, Cluſius Prænestinam appellant. viridi, graciliori, improcero, nulliſque fere ſpinis metuendo frutice funditur, vulgari ſativæ ſimilis, denſis foliis leviter ex albo rubeſcenti. quam aut Plinianam Alabandicam, aut Trachiniam eſſe, Scriptores ſane nobiles autumant. Ea item,* 13. *Ibid.*

cujus virgei rami breviores, graciliores, ſubvirides, minorum grandiorumque ſpinarum promiſcue crebris languido pallore lividis, intentiſque mucronibus minaces, quæ varie diluta, floris folioſi rubore maculoſa, Prænestina *dicitur, aſperitate pariter aculeata inhorreſcit*. Hactenus Suareſius. Bulbis quoque ſpontaneis fertiles Prænestinos Campos eſſe Plinius notavit. 14. ait namque. *Bulbos non naſci niſi ex ſemine, priores tradiderunt. Sed & Prænestinis campis ſponte naſcuntur, ac ſine modo etiam in Rhemorum arvis.*

14. *Lib.19.c.5. in fin.*

Jam vero Prænestini Agri ubertas ſimul & vaſtitas ab Martiali ſignificatur his verſibus: 15.

15. *Lib.4.ep.51.*

Vos nunc omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Præneste domate; pendulamque
Uni dedite Setiam Colono.

Frugumque, ac tritici præſertim, eam ubertatem deſignat Poeta, dum Prænestino Agro Setinum frugum uberrimum adjungit. Prænestini rurſus vaſtitatem Agri auctor idem ita ſignificavit, indignatus, quod ſutor, præpotentis cujuſdam divitis libertus, in patroni bona ſubdolus invaſiſſet: 16.

16. *Lib.9.ep.73.*

Prænestina tenes decepti regna patroni,
In quibus, indignor, ſi tibi cella fuit.
Rumpis & ardenti madidus cryſtalla Falerno.

Quo ex Martialis teſtimonio vini etiam copia in agro Prænestino percipi ſolita ſignificari videtur; cum Poeta doloſum libertum carpat ob vaſtiſſimas cellas vinarias patroni ſui decepti adeptas, cum agro

agro Prænestino, in quo antea, neque unica, illi fuerat vinaria cellula. Certe Andreas Baccius, libro De Vinis, Prænestini quoque laudes non omisit. De quo etiam Athenæus 17. meminit, dum ait Πραινεστίνῳ καὶ Τιβερτίνῳ λιπαρώτερον Μάρσικον τὸν οἶνον. nempe *Prænestino & Tiburtino crassius Marsicum vinum*. Attamen tam vastum agrum, aliquando, ut publicum, viritim divisum militibus, quandoque etiam a paucis ex patriciis, qui Romæ ceteris præpollebant, possessum fuisse, questus est Marcus Tullius. Ait enim Agraria altera in Rullum: *At videmus, ut longinqua mittamus, agrum Prænestinum a paucis possideri*. Subsecutis quoque Tullium temporibus, in Colonorum Prænestе deductorum præmia concessisse hunc agrum, de Sexto Julio Frontino, in suo de Coloniis Commentariolo, monemur; ajente: *Prænestе oppidum. ager ejus a quinqueviris pro parte in jugeribus adsignatus est, ubi cultura est. Ceterum in absoluto est relictus circa montes; iter populo non debetur*. Porro Siculus agrimensor eadem prorsus repetit. Quamquam autem de villis, quæ plurimæ in Prænestino fuerunt, eæque magnificentissimæ atque amœnissimæ, alio simus loco enarraturi; ubi quæcumque illarum adhuc superant monumenta, diligentissime conquisita proferemus omnia; fundorum nihilominus nomina quædam olim in Prænestino agro constitutorum hic apponemus. Quare ex Anastasio in vitis Romanorum Pontificum legimus, 18. a Beato Silvestro hujus nominis primo Titu-

17. *Lib.* 1. *Dypnosoph. c.* 15.

18. *Ap. Suar. cap.* 10.

tulum ſuum, h. e. templum, Oratorium locum, ſacram ædem, in regione tertia juxta Thermas Domitianas conſtitutum fuiſſe; qui nunc quoque *Divi Silveſtri ac Martini ad Montes* ſive *in Montibus*, nominatur. Huic Magnus Conſtantinus Auguſtus, pro ſingulari pietate ac ſtudio in Deum Optimum Maximum, ejuſque Chriſtianam Religionem, dono dedit, dotiſque loco attribuit, Fundum *Cejanum* (forte Cajanum) in territorio Prænestino, præſtantem ſolidos quinquaginta; Fundum *Thermulas* in territorio Prænestino præſtantem ſolidos triginta-quinque; Poſſeſſionem Cylonis (forte Cylonis Præfecti Urbis, ait Suareſius, ad quem extat Severi epiſtola) in territorio Prænestino, præſtantem ſolidos quinquaginta quinque. Ex eodem quoque Anaſtaſio rurſum docemur, Xyſtum Romanum Pontificem hoc vocabulo tertium, Baſilicam Sanctæ Mariæ, quæ ab antiquis *Liberii* cognominabatur, juxta Macellum Liviæ, reſtituiſſe, eamque cum ceteris ditaſſe Fundo, quem Poſſeſſionem *Marmoratam* dicebant in territorio Prænestino, præſtantem ſolidos quinquaginta duos ſupra centum. Quibus in teſtimoniis vocem *ſolidum* & *ſolidos*, nummos *aureos* nobis modo *ſcudo d'oro* ſignificaſſe, memineris. Prænestinis in montibus Horatii Fundum cum Villa extitiſſe Blondus refert, loco, qui nunc *Sancti Joannis in Campo Horatii* dicitur. De quo nos fuſius infra, in ceterarum villarum recenſione, dicemus. Fundum *Cæſarianum*, Viâ Prænestinâ, trigeſimo ab Urbe

be lapide, ultra ipſam Prænesten ſcilicet, inter alios fundos enumerat vetuſtus lapis ad Divorum Joannis & Paulli Romæ, Titulo Pammachii Senatoris pientiſſimi, ab eo illi Baſilicæ attributum. Fundum ΩΛΕΡΑΝΟΝ ſive melius ΩΛΕΒΑΝΟΝ *Olebanum*, inter plures alios, recenſet tabella marmorea fundorum & pagorum olim ad ſacras Ædes atque Collegium Divi Eraſmi Romæ ſpectantium, effoſſa in Vaticano. hunc Fundum eumdem cum *Olevano* oppido nunc quoque in finibus Prænestini agri ſito, & ad Prænestini Antiſtitis ditionem ſpectante, fuiſſe, non dubitamus. Ipſa tabella Fundos ΛΟΝΓΙΑΝΟΝ ΜΙΚΡΟΝ & ΜΕΓΑ exhibet. *Longianum minorem & majorem*. quorum alterum Suareſius putavit, eſſe oppidulum nunc *Lugnano* ditionis Antiſtitis Prænestini. Fundus item *Semeſſanus*, in territorio Prænestino extans, ab Joanne X. Romano Pontifice dicitur. & Fundus *Donabelli*. quos in finibus Prænestinis, quà Tiburtes excipiunt, ſitos fuiſſe, de Othone ſecundo cognovimus. Poſſeſſio pariter *Cæſariana*, in finibus Prænestinorum, Symmacho, in epiſtola libri decimi quarta ad Theodoſium, teſte. *Poſſeſſio Celeris* in territorio Afiliano, quod olim ſub Prænestini Antiſtitis ditione fuit, & *Gaviniana*, ſeu *Gabiniana* prædia, quæ recenſent Jure Conſulti. Quorum omnium teſtimonia profert Suareſius, addens hiſce ex fundis, atque ex villis multo magis, quarum mentionem infra habebimus, exſurrexiſſe oppida pagos & vicos, quibus Prænestini Antiſtitis Ditio, vul-

vulgo *La Diocesi di Palestrina* conflata est. Quorum nomina ipse Latine sic protulit: *Cavarum*, *Genistani*, *Paliani*, *Surronis*, *Rojatis*, *Afilarum*, *Pontii*, *Olibani*, *Civitellæ*, *Pisciani*, *Sancti Viti*, *Capranicæ*, *Arcis Cavarum*, *Lugnani*, *Zagaroli*, *Gallicani*. Vernacula vero eorumdem vocabula sunt hodie: *Cave*, *Gennazzano*, *Paliano*, *Il Serrone*, *Rojate*, *Afile*, *Ponza*, *Olevano*, *Civitella di Subiaco*, *Pisciano*, *Santo Vito*, *Capranica*, *Rocca di Cave*, *Lugnano*, *Zagarolo*, *Gallicano*. Quamquam Rojate, Afilæ, Pontia, Civitatula, ad Sublacensis Antistitis Ditionem modo pertineant. Vocum originem derivare non inani studio quis possit; *Cavarum* quidem ab *Cavis* terræ fossionibus, eo loco peractis antiquitus, quo saxa ad celeberrimum Prænestinæ Primigeniæ Fortunæ templum, vastissima extruendum mole, extraherentur. *Genistani* ac *Paliani*, quod genistis ac paleis ager circa abundaret. *Surronis* aut *Serronis*, quod serræ instar, ut nunc quoque cernitur, minutis quibusdam gradibus præruptus ille mons ascendatur. *Rojatis* quasi *Rubiatis*, quia rubis frequens esset vicinia vel malis Punicis, quæ Græcis *Roja* dicuntur. *Afilarum* ex Græco quasi *non amicæ gentes*, puta hospitibus asperæ. *Pontii*, sive *Pontiæ* ab Pontia Romana gente possessus locus. *Sancti Viti* ob cultum sanctissimi Viti, fortissimi Christi pugilis, puerili licèt ætate. *Capranicæ*, quod capris aspera rupes frequentaretur. *Arcis Cavarum* ab edito & munito loco supra *Cavas*. *Lugnani* quasi *Longiani fundi*.

Za-

Zagaroli, de nomine fortaſſe cujuſdam olim ejus loci domini aut aliunde, prout in Tabula nominum antiquorum cum recentibus collatorum præmonuimus. *Gallicani* ab viro ſanctiſſimo eodemque Senatore ampliſſimo Romano, cognomine; vel quod Gallorum olim exercitus ſtatio fuerit. Verum hæc, incerta plurimum, innuiſſe tantum ſuffecerit.

Illud non omiſerim, Prænestini agri Colonos peculiari, quamquam Latino, ſermone uſos. Ejus veſtigia paucula nobis ſuperant. Actius apud Feſtum: *Tammodo inquit Prænestinus pro tantummodo. At nunc Romæ paſſim*. 19. Plautus in Truculento: *Ut Prænestinis Conia eſt Ciconia*: Ex his, Prænestinos, colligimus, vocabula decurtare ſolitos, & quibuſdam veluti verborum compendiis uſos. Eo namque loco, Stratilax ſervus apud Plautum, Prænestinorum hanc in loquendo conſuetudinem per jocum imitari ſtudens, ait: *Rhabonem habeto*. cui Aſtaſium puella reponit: *Perii! rhabonem? quam eſſe dicam hanc belluam? quin tu arrhabonem dicis?* Ad hæc Stratilax ita ſubdit: *A R facio lucri: ut Prænestinis conia eſt ciconia*. Hujuſmodi compendiis vocum, inter cultos ceteroquin Italiæ locutores (nam corruptiſſimos plurimos non ignoro) utuntur Peruſini, ajentes, eleganti quadam velocitate *Quan* pro *quando*, *ſtat* pro *ſtate*, hiſque ſimilia permulta. Porro, Prænestinorum compendia univerſos demum Romanos amplexos, de Feſto cognovimus, ajente: *Tam modo* illud Prænestinum ſua ætate omnes Ro-

19. *Act. 3. ſcen. 2.*

mæ pronunciaſſe; brevitatem enim nationes omnes in loquendo plurimum ſemper amavere; utpote qua tum loquentes tum audientes & defatigationi, & tempori parcant. Ceterum apud Paullum ex Feſto *Nefrones* pro teſtibus, *Tongitio* pro *Notione* voces Prænestinorum peculiares fuerunt. quemadmodum eodem ex auctore *Nebrundines* teſtes ipſos Lanuvini nominabant, Græca utrique uſi derivatione ἀπὸ τῶν νεύρων. a nervis. Hunc Prænestinorum peculiarem ac quaſi municipalem loquendi morem Latini reliqui veteres, ut aſſolet inter vicinos & conterminos populos, irriſione inſectati ſunt aliquando. quod non ſolum ex allatis Plauti Actiique exemplis patet, verum etiam ex præclaro Quintiliani teſtimonio. Ex quo tamen defeciſſe poſtmodum eam æmulationem, Prænestinorumque ſermonem Latinum æque ac reliquorum Latii populorum, uſu habitum, plane colligimus. En illud 20.: *Verba aut Latina, aut peregrina ſunt. peregrina porro ex omnibus dixerim gentibus, ut homines, ut inſtituta etiam multa venerunt. taceo de Thuſcis & Sabinis & Prænestinis quoque. Nam ita eorum ſermone utentem Vectium Lucillus inſectatur, quemadmodum Pollio deprehendit in Livio Patavinitatem: licet omnia Italica pro Romanis habeam.* Pollio tamen Aſinius (ut hoc obiter hic in civis mei Livii gratiam adnotem) Pollio, inquam, Aſinius in Livio, cum, quid illi (quem tamen mordere volebat, atque deprimere, ob æmulationem, cum & ipſe Hiſtoriam ſcriberet) cum,

20. L. 1. *Inſtit.* c. 5.

cum, quid illi appingeret mendi, non inveniret; ad patriam carpendam ex invidia putide redactus est. Cum tamen Livii Patavinitas nil aliud profecto fuerit, quam ubertas & lactea quædam facundia, eloquentia & copia, Patavini cœli ac soli certe propriissima in rerum omnium fertilitate, ita dixerim, fertilissima ac feraciissima; quibus ipsum Bononiæ sumen superare vulgato veteri proverbio dicitur. *Bologna grassa; ma Padova la passa.*

Ceterum Asinii historia periit omnino; Livii vero, quamquam plurimum, inæstimabili ac numquam satis deplorando Literariæ Reipublicæ damno, amiserimus; multum nihilominus adhuc supereſt: illudque tanti est apud omnes, fuitque semper, ut illi Primatum, Latinos inter Historicos ac principem locum, omni procul controversia adjudicaverit. Mille jam annos illum terrarum Orbis universus exaudit, unicumque Historicæ artis magistrum confitetur, ait Renatus Rapinus Societatis Jesu. Gallus autem, ne forte Patavinum putaveris ex patriæ amore ampullatum. Vossius vero post præclariſſimam tanti Scriptoris commendationem, nihil eo grandius, nihil uberius reperiri posse, concluſit. Unde & viventem hunc unicum Patavinum civem cum sua Patavinitate pluſquam ipſam Urbem Romam, Terrarum deam atque Gentium, ut ait Martialis, extremis ab usque profecti Gadibus, sunt admirati. Siquidem ex illis quidam, Divo Hieronymo teste 21., ab illis usque extremi atque

21. *Epist. ad Paulinum, quæ incipit:* Frater Ambrosius.

Occidentis ſolis cubilibus, Romam ut Livium unum unicum de facie cognoſcerent, cujus ſcripta admirari ſatis nequiverant, profecti ſunt. Illumque ipſum, omiſſis ceteris Urbis prodigiis, primum omnium convenerunt; ſuique itineris pretium abunde tuliſſe, tanto adito viro, gloriati ſunt. *Ad Titum Livium* (verba Hieronymi) *Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus: & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis celebrandumque miraculum, ut tantam Urbem ingreſſi, aliud extra urbem quærerent.* Mortuum vero hunc eumdem Livium non ejus modo Cives ampliſſimis honoribus atque perpetuis ſunt proſecuti; verum etiam Aragonum rex Alfonſus, quod ejus lectione ſummopere delectatus priſtinam jamdiu amiſſam valetudinem, recreato ac defæcato demum curis animo, recuperaſſet, dexteri oſſe brachii de tanti viri corpore a Patavinis impetrato, & ſummis honoribus, ac, qui divinos tantum vix non attingerent, excepto, Titum Livium Patavinum Latinorum Hiſtoricorum principem, cum Gaditanis illis antiquis ejuſdem viventis tam egregiis admiratoribus, ſtudio decertans, immortalitati conſecravit. Verum, ohe, jam ſatis ſuperque ab propoſito, inſtitutoque de Prænestinis ſermone aberravimus. quod tamen ſapientes, æquique rerum æſtimatores ignoſcent, puto. Nunc in viam redea-

redeamus. Prænestinis itaque peculiaris quidam sermo fuit, iisdemque mores etiam haud ita cum reliquis Latii populis communes fuisse videntur. Ac primum quidem jactantiores paullo & glorioſiores: juxta illud Nonii Grammatici in voce *opino*: *Prænestinum, opino esse, ita erat glorioſus*. quem versum e Plauti Comœdia, quæ inscribitur *Bacchides*, excerpsisse ait Nonius; cum tamen in nullo ejus Comœdiæ exemplo, neque manu descripto, neque prælo impresso, legatur. quod, & de aliis pluribus Plauti versibus, aliis ab auctoribus recitatis, factum perspeximus. Rursum, agri Prænestini colonos acres, & in contentionibus, conviciis ac rixis salsos, & obdurantes, ex Horatio docemur. 22. Ubi enim poeta Persium quemdam Græcum, seu potius *Hybridam*, ut ipse vocat, scilicet ancipitis, dubiæ, aut duplicis patriæ, litigantem cum Rupulo, Rupilo, sive Rupilio, cognomento Rege, Prænestino inducit; hujus, ait, convicia fuisse *pus* atque *venenum*; & ipsum Rupilum durum hominem, confidentem, tumidum, amari sermonis significat; quamquam Hybridam Persium his omnibus vitiis pejorem fateatur, his versibus: 22. *Sat.* 7. *L.* 1.

Durus homo (Persius) atque odio qui posset vincere Regem;
Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros, ut equis præcurreret albis.

De ipso autem Rupilio Rege Prænestino locutus, ita illum conviciantem descripsit.

Tum

Tum Prænestinus salso multumque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator & invictus, cui sæpe viator
Cessisset, magna compellans voce cucullum.

Denique acria Prænestini convicia, aceti instar, significavit, eo carmine

At Græcus postquam est Italo perfusus aceto.

Proscriptum autem Rupilum Horatius appellat, & in Asia degentem; forte enim a Triumviris Reipublicæ constituendæ, Augusto, Antonio, Lepido, vel ab eorum uno, quod aliorum partibus faveret, proscriptus fuerat. Ceterum male quis omnium veterum Prænestinorum mores de unius Rupili Prænestini moribus æstimaverit. Adde insuper, hæc ab Horatio per jocum & falsè scripta fuisse, ac poetice; quo genere quidlibet audendi potestas fuit. Non negaverim tamen, priscis temporibus, Prænestinos, quemadmodum & conterminos illis, Veteris Novique Latii alios populos, severis quibusdam asperisque moribus & institutis educatos fuisse; utpote quibus rara cum exteris gentibus commercia forent. Certe Ergasilus parasitus, apud Plautum, Prænesten, cum aliis vicinis nonnullis, inter Barbaricas civitates recensuit, asperasque fuisse, pronuntiavit. En Plauti verba ex Comœdia, quæ inscribitur *Captivei*. Colloquuntur Hegio senex parcus, & Ergasilus famelicus parasitus. 23. *Heg. Abi in malam rem, ludis me. Erg. Ita me amabit sancta saturitas, Hegio, itaque suo me semper condeco-*

23. *Act. 4. scen. 2. sub. finem.*

ret

ret cognomine; ut ego vidi ..... Heg. meum gnatum? *Erg. tuum gnatum & Genium meum. Heg. & captivum illum Alidenſem?* *Erg.* μὰ τὸν Ἀπόλλω. *Heg. & ſervolum meum Stalagmum, meum qui gnatum ſurripuit?* *Erg.* νὴ τὸν Κόραν. *Heg. jam diu?* νὴ τὸν Πραινέſθω. *Heg. venit.* *Erg.* νὴ τὸν Σιγνίαν. *Heg. Certon?* *Erg.* νὴ τὸν Φρσσινῶνα. *Heg. Videſis.* *Erg.* νὴ τὸ Ἀλάτριον. *Heg. quid tu per Barbaricas urbes juras?* *Erg. quia enim item aſperæ ſunt, ut tuum victum autumabas eſſe. Heg. væ ætati tuæ.* Cum tamen hic Plautus Græcam Comœdiam, ſcilicet Græcorum more, quamquam verbis Latinis, repræſentet; ac ex Græcorum hominum perſonis loquatur; hinc, illum patet, idcirco Barbaricas dixiſſe haſce, ceteroquin cultiſſimas, Latii urbes, quod nempe Græcis, quicumque Græci non eſſent, *Barbari* dicerentur. Item aſperæ dicuntur eædem civitates, non quod aſperis omnes eſſent moribus ac inſtitutis; ſed quod Græco homini aſperum foret, illas pronunciare, propter egeſtatem linguæ & rerum novitatem, ſeu melius, earum longinquitatem.

Denique Prænestinus ager illud quoque dotis præclaræ habuiſſe videtur, ut aſylum fuerit, ac profugo cuicumque graviſſimiſque etiam criminibus reo tutiſſimam ſecuritatem præbuerit. De Polybii hoc teſtimonio eruere poſſe videmur, ajentis, dum Romanorum inſtituta deſcribit: 24. *Securitas vero eſt profugientibus, Neapoli & Prænesſte. etiam Tiburi, & aliis in oppidis, ad quæ ſacramenta habent.* Quod quamvis de ipſo murorum ambitu, quibus

24. *Lib. 6. Hiſt. Rom.*

mu-

muniebantur hæ urbes, dictum proprie fuerit; idem tamen ad earum agros ampliatum & propagatum privilegium fuiſſe, vehementer ſuſpicor. Maxime, cum profugi in agris libentius latitarent, majores ſumptus & occurſus hominum vitaturi, quam in urbibus mediis, utroque hocce incommodo gravandi, verſarentur. Certe Publius Furius Philus Citerioris Hiſpaniæ Prætor ad Reciperatores, ſeu Recuperatores adductus, graviſſimiſque accuſatus de criminibus, cum dicenda de integro ſibi cauſſa eſſet, excuſatus, exilii cauſſa ſolum vertit; & exulatum Prænefte abiit, ſicuti 25. Matienus Tibur. Item Tiberii Cæſaris pater Prætura functus, cum, ſub ejus anni exitum, diſcordia inter Triumviros exorta eſſet, retentis ultra juſtum tempus Magiſtratus inſignibus, Lucium Antonium Triumviri fratrem ad Peruſiam ſecutus, deditione a ceteris facta, ſolus permanſit in partibus: 26. ac primo Prænefte, inde Neapolim evaſit; ſerviſque ad pileum fruſtra vocatis, in Siciliam profugit. Ideo autem Aſyla Polybii ætate, qui cum Africano ſuperiore vixit, erant Prænefte, Neapoli, ac Tiburi, quod liberæ eæ Civitates forent, ac ſacramento inter earum cives, Romanoſque ſocios ac fœderatos conventum fuiſſet, liberum ad illas earumque agros reo cuicumque, ac tutum perfugium futurum. Vereor tamen, id diutius perduraſſe; amiſſumque id jus Prænefinis præcipue crediderim, quoties adverſus Romanos arma ſumſiſſent. Porro,

25. *Liv. L. 43.*

26. *Sveton. in Tiber. c. 4.*

Ti-

Tiberium Cæſaris Tiberii patrem idcirco Prænesteconfugiſſe, puto; quia Lucii Antonii Triumviri partes ſecutus, ad earumdem partium maximefautricem Prænestinam Civitatem confugere, utiliſſimum ſibi, ac præſentiſſimum afflictis perditiſque in rebus futurum, duxiſſet; non vero, quod eo tempore in urbe Prænestina aut libertas, aut jus aſyli perduraret. Suareſius tamen, id jus Prænesten habuiſſe, exiſtimavit, ob celeberrimum Primigeniæ Fortunæ templum, Prænestinarumque ſortium majeſtatem; ut cum Svetonio loquar. Verum Polybius, *ob ſacramenta* ὅρκια, *fœdus*, ſcilicet, *jusjurandum*, *pacta*, *promiſſa*, diſerte meminit, eas civitates, Neapolim, Prænesten, Tibur, id juris habuiſſe. Utrum autem fuerit Polybii ætate Prænestinæ Fortunæ templum extructum, dubitari merito poteſt. Quidam L. Syllæ Dictatori, poſteriori multo, id templum ſuppar exiſtimaverunt, ejuſdem auctorem Syllam ipſum reputantes. Num tamen appoſite, infra, ubi de illo fuſiſſime diſſeremus, opportune pluribus diſquiremus.

Neque vero ſoli Prænestini in marmoribus producendis ſilentio prætereunda feracitas eſt. Scribente namque Suareſio de Prænestinis monumentis, Nicolaus Menghinus ſtatuarius egregius multas variorum marmorum venas in Prænestini montis dorſo, dum *Capuccinorum* Patrum, quos appellant, hortus effoderetur, invenit. prima fuit lapidis ſubfuſci vena, qui colore referebat Ægyptium,

ptium, durus atque lævis; ex quo leunculi quatuor, tres palmos oblongi, ab ipso Nicolao exciſi atque exculpti ſunt; viſunturque Prænesteæ ad Divi Rocchi, duas ſepulcrales marmoreas arcas ſuſtentantes. Ex eodem quoque lapide ſculptor idem Bruti caput, altum palmos duos, aliaque opera affabre admodum effinxit. Alia marmoris Prænestini vena reperta eſt Alabaſtrites, ſive Alabaſtron imitata pellucidi electrini & lutei coloris. Ex hac Cæſaris & Auguſti effigies idem auctor excidit, in Ædibus Barberinorum extantes. & Laurentius Berninus, ingenioſiſſimus & celeberrimus Architectus, Pictor & Sculptor, cranium ſeu calvariam, quæ cum natura certare videtur, eodem ex lapide produxit; & pulvinari, quod Heraclito, e ſilice concinnarat, impoſuit. Vena etiam eſt Prænesteæ marmoris albi, croceo atque cæruleo coloribus diſtincti, ex quo tabellæ plures exſectæ, inter ditiſſima & pretioſiſſima Barberinorum Principum antiqua monumenta relatæ ſunt. Viget tandem in Prænestino alia marmoris vena variegati coloris, ex qua menſa ad ſacram Aram exciſa in eorumdem Ædibus Principum viſitur.

CA-

CAPUT III.

De Veterum Prænestinorum rebus gestis.

Iam vero ad Prænestinorum res bello gestas narratione complectendas convertamur. Prænestinæ urbi primum omnium Conditorem suum imperitasse, a nemine dubitari potest. Quare, vel Cæculi, vel Latini, vel Telegoni, vel Prænesti, vel cujuscumque demum alterius, qui hanc urbem primus fundavit, eam imperata feciſſe, certum est. Quæ tamen obedientia eadem mera libertas habetur; cum, scilicet, externos dominos civitas aliqua non cognoscit, licet in ea unus civibus omnibus imperitet.

Quod multo magis commodum honorificumque censetur, si dux populi non omnia suis frœnet ac regat arbitriis, sed in optimates civitatis curas dividat; eorumque adhibitis consiliis Rempublicam administret. Postea vero, Herilum regem, Feroniæ filium, trium animarum monstrum, Prænestе regnasse, de Virgilio monemur. Hunc e Sicanorum veterum gente, qui primi Latium tenuere, procreatum putat Cluverius; cui, utpote in mera fabula, neque assentiar neque dissentiar omnino. Eumdem cum Evandro Arcadum rege ad Latinas oras appulso, bellum gessisse, ex Marone pariter didicimus. quem ab Arcade, sub ipsius Prænestinæ

urbis muris, prælio victum, & interfectum, Poeta idem commemoravit his verſibus, ex ipſius Evandri perſona, filium Pallanta in Æneæ auxilium cum Arcadum manu profecturum ſic alloquentis: 1.

1. Æn. l. 8.

O mihi præteritos, referat ſi Juppiter annos,
Qualis eram, cum primam aciem Præneſte ſub ipſa
Stravi; ſcutorumque incendi victor acervos;
Et regem hac Herilum, dextra ſub Tartara miſi:
Non ego nunc dulci amplexu divellerer unquam
Gnate, tuo.

Quam pugnam, & ex ea mox partam Arcadi victoriam, præclaram fuiſſe, innuunt ea verba: *cum primam aciem Præneſte ſub ipſa ſtravi; ſcutorumque incendi victor acervos.* Siquidem Præneſtinorum exercitum pluribus diſtinctum aciebus, plurimiſque inſtructum ſcutatis militibus, inde colligimus.

Ænea vero ad Latinas oras appulſo, eique ſeſe validiſſime opponente Turno Rutulorum rege, cum Latinis omnibus; & Præneſtini ab Virgilio inducuntur auxilium ferentes Rutulo, Cæculi urbis Fundatoris, ejuſdemque regis ac ducis, imperata facientes: Ait enim. 2.

2. Æn. l. 7.

Nec Præneſtinæ Fundator defuit urbis,
Vulcano genitum, pecora inter agreſtia regem,
Inventumque focis, omnis quem credidit ætas,
Cæculus. hunc legio late comitatur agreſtis.
Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt, quos dives Anagnia paſcit,

Quos,

Quos, Amaſene pater: non illis omnibus arma,
Non clypei, curruſque ſonant. pars maxima glandes
Liventis plumbi ſpargit; pars ſpicula geſtat
Bina manu, fulvoſque lupi de pelle galeros
Tegmen habet capiti; veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedes, crudus tegit altera pero.

Ex quibus illud pro Prænestina urbe honorificentiſſimum erui poſſe videtur, eam nempe Caput olim populorum omnium, qui recitatis verſibus recenſentur, extitiſſe. Cum enim hi omnes legionem agreſtem confeciſſe dicantur, ſecutam Cæculum, regem ac Fundatorem Prænestinæ urbis; paruiſſe nominatas urbes eidem regi per id tempus, colligi legitime videtur. Ut quid enim, aliter, ignotum ducem, externum, cuique in eos nil juris eſſet, ſequerentur? Ceterum, quidquid id ſit, Cæculus certe hic inducitur rex Prænestinus Legionem peramplam ducens, ſuorum primo, mox Gabinorum, Tiburtium, Hernicorum, & in iis maxime Anagninorum, ac Volſcorum Privernatium; hi namque ſignificantur per illa verba: *quos, Amaſene pater*. Eſt enim Amaſenus fluvius juxta Privernum Volſcorum, apud ipſum Virgilium regiam urbem, ex qua Meſſapus & Camilla reges. Neque omittenda legionis hujuſce Prænestinæ armorum varietas. quamquam enim ex ea alios conſuetis inſtructos armis & clypeis, deque curribus decertantes non diffiteatur poeta; ait tamen, non omnes hoc inſtrumento obarmatos proceſſiſſe; verum alios binis

nis ſpiculis, brevibus ſcilicet lanceis, nobis modo *alabardini*, inſtructos inceſſiſſe, quos velites merito dixeris; alios liventis plumbi; ſcilicet lividum reddentis quemcumque vulneret, glandes ſparſiſſe, quos funditores; & nobis nunc *Granatieri*, quamvis haud omnino illis ſimiles. galeris autem fulvis e lupinis pellibus confectis contectos, militum inſtar Germanorum illorum, quos *Uſſari* nos appellamus. Denique nudo ſiniſtro pede, dextero autem peronibus induto proceſſiſſe. qui mos Ætolorum fuit. Unde Servio ex Ætolia Hernicos hoſce oriundos fuiſſe viſum. Verum hæc pro Poetæ ingenio conficta, non dubitaverim. unde illis ad Hiſtoriæ veritatem non multum fidendum eſſe. quamquam in antiquiſſimorum temporum rebus utcumque illuſtrandis, quod nos facimus, ea non omittenda, deficientibus præcipue aliis veridicis monumentis, iidem cenſeamus. Ceterum, *pero* durum ac ruſticum calciamenti genus e corio fuit, nobis *lo ſtivale*. Si tamen genuinam horum carminum ſententiam aſſequi velimus, eam eſſe dicemus; quod, videlicet, Virgilius Cæculi mores & vitæ inſtitutum his ob oculos legentium exponere maxime voluerit. Cum enim de Cæculo prodidiſſent fabulæ, illum latrocinari prius aſſuetum, agreſtium manu ſtipatum, qui Prænestinum agrum, vicinoſque incolerent ſimul & infeſtarent; hinc eaſdem fabulas poeta ſecutus, Cæculum cum legione agreſtium, latronum magis quam militum, ad Turni auxilium con-

ve-

veniſſe, commentus eſt. Tumultuarioque magis exercitu, quam legitimo, militaribuſque inſtitutis aſſueto, comitatum, latronum hunc ducem deſcripſit. Atque hoc quidem neceſſario dicendum; idcirco, quod Tiburtes jam ſub Catillo & Cora, Tiburti fratribus ad bellum idem veniſſe antea dixerat, & Privernates ſub Meſſapo & Camilla propriis regibus. Verum hæc hactenus. Certiora mox perſequemur.

Propriis itaque ſub regibus aut ducibus Præneſtinos vixiſſe, crediderim, ad Albanorum uſque in Latio regnum. His namque rerum potitis, regnante Latino Silvio, Præneſte, una cum aliis novem & viginti Latii oppidis, Albanorum Colonia deducta eſt, Dionyſio teſte. 3. Illiſque paruit ad eorum uſque Regni atque Albæ urbis principis habitum per Romanos excidium, Tullo Hoſtilio Romæ regnante. A quo, mox ut Albani devicti, ac Romam traducti ſunt; in eorum Colonias bellum eſt circumlatum. Contigit hoc poſt Albam dirutam anno quintodecimo; bellumque quinquennio geſtum. Pax inde, ſeu verius induciæ, ac fœdera quædam ſubſecuta, intervallo permodico. Siquidem Romanorum rex quintus Tarquinius Priſcus, frequentibus præliis Latini nominis populos cum attriviſſet; præſertim vero triginta Albanorum Colonias, Latium univerſum eo demum compulit, ut Romanis faſces ſubmitteret; quamquam, honeſtiſſimo, *Sociorum Populi Romani* nomine, conceſſum

3. *Lib. 1. Antiq. Rom. & Auct. Origin. Gent. Rom.*

ſum Romano regi in Latinos imperium obvelare, decretum eſt. Hinc Romæ Tarquinium Priſcum de Latinis triumphaſſe, apud Livium 4. legimus; & in Conventu Latinorum apud Ferentinum ſub Albano monte celebrato, Tarquinium Superbum Romæ regem, Latinæ Gentis univerſæ Principem ac Ducem conſtitutum, & nominatum, legere eſt apud Dionyſium. Ex Livio rurſum, eumdem Superbum edixiſſe, velut omnium Imperatorem ac Principem, ad Lucum Ferentinæ, habemus. quamquam eodem in Conventu fœdus cum Latinis ipſe rex renovavit. His itaque viciſſitudinibus una cum reliquo Latio etiam Res Prænestina verſata, & jactata eſt. Urbis vero Conditæ ducenteſimo quinquageſimo quinto, T. Æbutio & P. Veturio Conſulibus 5. Fidenæ obſeſſæ, Cruſtumeria capta, Prænesſte ab Latinis ad Romanos deſcivit. nec ultra Latinum bellum, gliſcens jam per aliquot annos, dilatum. Quonam vero defectionis genere ab Latinis Prænesſte deſciverit, ulterius Hiſtorici minime explicant. Attamen diſquiſitionis eget iſta defectio. Si enim Latini tunc temporis Romanorum imperata faciebant, ſociorum nomine; quî potuit Prænesſte ab Latinis ad Romanos deficere, quorum jam ſocia erat & amica civitas? Si vero Latini, ſui adhuc quodammodo, juris erant; Romanorum igitur imperata minime faciebant. Interpretarer, itaque, Prænesſte ab Latinis ad Romanos deſciviſſe eo pacto, ut Romanorum gratiam captaturi Præne-

4. L. 1.

5. Liv. l. 2.

neſtini, aliquid iis de ſuo jure lubentes remitterent; neque fœdera, quibus ceteri Latini convenerant cum Romanis, intacta ſervarent. Brevis tamen hæc Prænestinorum cum Romanis fuit amicitia. Inſequenti etenim anno, qui Conditæ fuit Urbis ducenteſimus quinquageſimus ſextus, poſt deditos Lartio Conſuli Fidenates, Latini omnes apud Ferentinum Concilio convenere; initoque fœdere, conſpiravere adverſus Romanos, eiſque bellum indixere. In hoc jusjurandum nomina dedere Prænestini proceres cum Aricinis, Bovillanis, Bubetanis, Coranis, Cornetanis, Gabinis, Laurentinis, Lanuvinis, Lavinienſibus, Labicanis, Nomentanis, Norbanis, Pedanis, Querquetulanis, Satricanis, Scaptinis, Setinis, Tellinis, Tiburtinis, Tuſculanis, Trebanis & Veliternis. Univerſi Duces exercitus Octavius Mamilius Tuſculanus, & Sextus Tarquinius Superbi filius. Belli tamen exitus Romanorum victoria, Latinorum clades fuit. Prælium ad Regillum lacum decertatum haud ita procul a Via Prænestina, in Tuſculanorum monumentis fuſe deſcripſimus. Biennio poſt ab Romanis cum Latinis fœdus eſt renovatum. At V. C. CCLX. L. Lucretio Tricipitino 6. T. Veturio Gemino Coſſ. Veturius miſſus eſt in Volſcos ad bellum ultro inferendum. Tricipitinus populationibus arcendis ſociorum agro oppoſitus non ultra quam in Hernicos procedit. Veturius primo prælio hoſtes fundit fugatque. Lucretium, dum in Hernicis ſedet, prædonum, 6. *Liv. l.* 3.

agmen fefellit ſupra montes Prænestinos ductum; inde dimiſſum in Campos vaſtavere agrum Prænestinum, Gabinumque. Ex Gabino in Tuſculanos flexere colles. Urbi quoque Romæ ingens præbitus terror; magis in re ſubita, quam quod ad arcendam vim parum virium. Q. Fabius præerat Urbi. is armata juventute, diſpoſitiſque præſidiis tuta omnia ac tranquilla fecit. Hæc Livius.

7. *Liv. l. 6.* Quinquennio poſt iterum 7. ab Romanis defecere Latini: atque iterum poſt quadriennium. Quarum defectionum conſcios & ſocios Prænestinos quoque fuiſſe, certum eſt. Hi tamen V.C.CCCLXXI. ſingularia, præ ceteris, defectionis argumenta dedere. Defectionis Prænestinorum nuntii, apud Romanos, Tuſculani, Gabini & Lavicani fuere. In horum fines ſociorum Populi Romani, Prænestinos infeſto agmine incurſaſſe, accuſabant. Nuntiis nihilominus ab Senatu ita placide reſponſum eſt, ut minus credi de criminibus, quia nollent ea vera eſſe, appareret. Inſequenti anno, cum Sp. & L. Papirii Romanorum Conſulari poteſtate Tribuni ad Velitras decertarent; Prænestini amicam & vicinam urbem copiis juvandam rati, validiſſima Veliternis auxilia contulere; adverſus quæ, majora pene

8. *Liv. l. 6.* quam ipſam Veliternorum multitudinem 8. ſecundo prælio pugnatum eſt. Prænestini tamen una cum Veliternis colonis intra Velitrarum mœnia, quod pugnæ loco proximum eſſet oppidum, ſeſe recepere. Tribuni ab oppugnatione abſtinuere; quia

& an-

& anceps erat, nec in perniciem Coloniæ pugnandum, cenſebant. Litteræ Romam ad Senatum cum victoriæ nunciis acriores in Prænestinum, quam in Veliternum hoſtem miſſæ. Itaque ex S. C. Populique juſſu bellum Prænestinis indictum. Qui conjuncti Volſcis proximo anno Satricum Coloniam Populi Romani pertinaciter a Colonis defenſam vi expugnarunt, fœdamque in captos exercuere victoriam. Eam rem ægre paſſi Romani, M. Furium Camillum exactæ jam ferme ætatis ſexto Tribunum militarem cum L. Furio & aliis creavere. Volſcum bellum, ſcilicet Veliternorum, qui Volſcæ gentis, attamen intra Veteris Latii fines, erant, M. Furio Camillo decretum; ei L. Furius adjutor datus. Qui moræ impatiens Prænestinos ad Satricum adortus, abs illis primo fugatus eſt. Marco tamen Camillo ſeſe comitem mox cum ſuis adjungente, Prænestini denique a Romanis fuſi ſunt, ac Satrico cedere coacti.

Quieviſſe autem videntur dubia ſemper & ſuſpecta adverſus Romanos fide. Ad annum vero Conditæ Urbis CCCCXV. ad ingenium redeuntes aperte Latini, ac maxime Prænestini & Tiburtes, Samnitum, ſociorum tunc Populi Romani, agros fœda populatione devaſtarunt 9.. Quam injuriam cum deprecarentur Romæ Samnites, quererenturque, tanquam ab ipſis Romanis illatam; cum Latini in fide Romanorum vivere jactarentur; Romani diſſimulare primum præ pudore, Latinos ab ſe defeciſ-

9. *Liv. l. 8. ſub init.*

ſe jamdiu; mox palam profiteri, Latinos dudum in Romanorum poteſtate non amplius eſſe. Ceterum in Latinos ſimul & Campanos, injuriarum inflictarum ſociis conſortes, expeditio ſtatim ſuſcepta eſt. Acta hæc, T. Manlio Torquato quartum P. Decio Mure Coſſ. Expeditionis exitus Latinorum fuga; in quam ab Manlio Conſule ſunt compulſi, victique. Cum vero, poſtquam Decius Conſul pro patria ſe devoviſſet, ad arma rurſus & populationes Prænestini, & ex Volſcis quidam deſcendiſſent; Lucium Furium ſociis opem ferentem valide primum repreſſerunt; verum a Camillo collatis mox ſignis, victi denuo, eorumque ingens ſtrages edita.

Hæc tamen clades multis Prænestinorum rebus geſtis poſterior fuit. Quam ideo hic cum Suareſio protulimus; ut bella ab Camillo cum Prænestinis geſta, quamvis diverſo admodum tempore, narratione tamen conjungeremus. Nunc annorum ſeriem ordine ſuo retexentes, quæ 10. V.C.CCCLXXVI. a Prænestinis audacter adverſus Romanos tentata ſunt, proferemus. Creatis itaque Romæ militaribus Conſulari poteſtate Tribunis, ſeditio a Tribunis plebis turbulentiſſima excitata. quia Cenſores abdicaverant Magiſtratus; cauſſati ſunt illi, fugere Senatum teſtes tabulas publicas cenſus cujuſque, quod nolint, conſpici ſummam æris alieni; alia quoque peccata, quibus Patritius Ordo turpiter tenebatur, Cenſoriam virgam reformidare; fregiſſe proinde illam, atque abjeciſſe optimates, Cenſura abo-

10. *Liv. l. 6.*

abolita. Obæratam plebem objectari aliis atque aliis hoſtibus, ne unquam diſſolvendo ſit. bella quæri de induſtria, inanibus ſemper obtentibus, leviſſimiſque cauſſis emendicatis; Latinis, Hernicis, ac Prænestinis præſertim, jam arma intentari, plebs ut teratur. Querelis itaque hujuſmodi in vulgus omne, momento ſparſis, conſenſu plebis, impediri cœptum, quominus ad Prænestini famam belli, ſicuti cenſuerant Patres, ſcriberentur novæ legiones. Erat enim cura Patribus delectus; quippe a Præneste profectos hoſtes in agro Sabino conſediſſe, nuntiabatur. Neque aliud ad ſeditionem extinguendam in Urbe, quam ipſis prope mœnibus bellum illatum valuit. Nam, cum eſſet Prænestinis nuntiatum, nullum exercitum conſcriptum Romæ, nullum Ducem certum eſſe; Patres ac plebem in ſemetipſos verſos conflictari ſimul, interneciniſque odiis confici; occaſionem rati, nec rem ulterius vel minimum differendam; Duces eorum raptim agmine facto, pervaſtatis protinus agris, ad Collinam Portam infeſta ſigna intulere. Ingens in Urbe trepidatio fuit. concurſumque in muros & portas continuo. tandemque ab ſeditione ad bellum verſi Dictatorem T. Quintium Cincinnatum creavere. Is Magiſtrum Equitum A. Sempronium Atratinum dixit. Quod ubi auditum eſt, (tantus ejus magiſtratus non Romanis modo, verum etiam hoſtibus terror erat) ſimul Prænestinus exercitus a mœnibus receſſere; & juniores Romæ ad edictum convenien-

nientes, ſine detrectatione dedere nomina. Dum autem in Urbe delectus habetur, viſum eſt Prænestinis non armorum modo, verum etiam malorum auſpiciorum atque ominum terrorem, per religionis ſpeciem, intentare Romanis. Quare, ad Alliæ fluminis in agro Sabino, fœdiſſima Romanorum ab Gallis habita cæde & clade celeberrimi, ripas, caſtra Prænestini metati ſunt; hæc ſecum inani quadam confidentia atque arrogantia jactantes: fatalem ſeſe Urbi Romanæ locum caſtris cepiſſe; ſimilem inde pavorem ac fugam fore, quæ Gallico bello fuerint. Etenim, ſi diem contactum religione, inſignemque nomine ejus loci timeant Romani uſque adeo, ut inter nefaſtos, atroſque ac peſſimi ominis Allienſem diem computaverint; quanto magis Allienſi die Alliam ipſam, monumentum tantæ cladis reformidaturos? Species profecto, umbras & larvas, maneſque ipſos terribilium quondam Gallorum, ſonumque vocis in oculis, atque in auribus fore. Has itaque Prænestini inanium rerum inanes ipſas volventes cogitationes Fortunæ loci delegaverant ſpes ſuas; iiſdemque, Romanorum, ſi fas eſſet, audaciam, impetus, vires præcipere, ac præoccupare, & in anteceſſum frangere conabantur. Ne tamen verbis tantum fortes, audenteſque viderentur; caſtris quidem ad Alliam flumen metatis, ibidemque exercitus robore confidente, palantes interea manipulos plures huc illucque dimiſere; qui, vel Romanum, vel Romani Populi ſociorum, agros,

qua

qua prædis, qua incendiis, qua vaſtatione infeſtarent. Romani, contra; ubicumque eſſet Latinus hoſtis, ſatis ſe ſcire eum eſſe, quem ad Regillum Lacum devictum, centum annorum pace obnoxia, tenuerint; ceterum, locum inſignem memoria acceptæ cladis irritaturum ſe potius ad ipſam dedecoris memoriam delendam, quam ut timorem faciat, ne qua terra ſit nefaſta victoriæ ſuæ: quin ipſi Galli, ſi offerantur illo loco, ſe pugnaturos, ut Romæ cum iis pugnaverint in repetenda patria; ut poſtero die ad Gabios, tunc cum effecerunt, ne quis hoſtis, qui mœnia Romana intraſſet, ſecundæ adverſæve Fortunæ nuncium domum referret. His utrimque animis ad Alliam ventum. Dictator Romanus, poſtquam in conſpectu Prænestini hoſtes erant inſtructi intentique, *Videſne, tu*, inquit, *Aule Sempronii, loci fortunæ illos fretos ad Alliam conſtituiſſe? nec illis dii immortales certioris quicquam fiduciæ, majoriſve quod ſit auxilii, dederint. At tu fretus armis animiſque, concitatis equis invade mediam aciem: ego cum legionibus in turbatos trepidanteſque inferam ſigna. Adeſte dii teſtes fœderis, & expetite pœnas debitas, ſimul vobis violatis, nobiſque per veſtrum numen deceptis.* Magiſter equitum, his auditis, dicto paruit cum ſuis illico; concitatiſque animis non minus quam equis, ingenti clamore atque ululatu, mediam ipſam Prænestinorum aciem invaſit. pedites cum legionibus in turbatos hoſtium ordines eadem virtute Dictator immiſit. Non equitem non peditem ſuſtinuere Præne-

neſtini. primo impetu ac clamore diſſipati ordines ſunt. deinde, poſtquam nullo loco conſtabat acies, terga vertunt; conſternatique, & præter caſtra etiam ſua, pavore & fuga prælati ac progreſſi, non prius ſeſe ab effuſo ſtitere curſu, quam in conſpectu Prænesſte fuit. Ibi ex fuga diſſipati, locum, quem tumultuario opere communirent, capiunt; ne, ſi intra mœnia ſe recepiſſent, extemplo ureretur ager; depopulatiſque omnibus, obſidio urbi inferretur. Sed poſtquam direptis ad Alliam caſtris, victor Romanus aderat; id quoque munimentum relictum. Et vix tuta mœnia ipſa rati, (tantus illos repente terror invaſerat, tantumque præterita Alienſis ſedis fiducia deſtituerat) oppido ſe Prænesſte includunt. Id tunc oppugnare, atque obſidione cingere Dictatori minime opportunum viſum. verum ad octo præterea oppida, quæ ſub ditione Prænesſtinorum erant, bellum eſt circumlatum. quæ omnia haud ita magno certamine capta ſunt. Velitras deinde exercitus ductus. eæ quoque expugnatæ. tum ad caput belli Prænesſte ventum. id non vi ſed per deditionem receptum eſt. T. Quintius ſemel acie victor, binis caſtris hoſtium, novem oppidis vi captis, Prænesſte in deditionem accepta, Romam revertit. triumphanſque ſignum Prænesſte devectum Jovis Imperatoris, qui ibi colebatur, in Capitolium tulit. Dedicatum eſt inter cellam Jovis & Minervæ; tabulaque ſub eo fixa (monumentum rerum geſtarum) his ferme inciſa literis fuit.

IVP-

IVPPITER ATQVE DIVI OMNES HOC DEDERVNT VT T. QVINTIVS DICTATOR OPPIDA IX CAPERET.

Quibus geſtis, die vigeſima ſuſcepti Magiſtratus, Cincinnatus Dictatura ſe abdicavit. Hæc eadem ex Livio ceteriſque Latinis & Græcis hiſtoricis antiquioribus in ſuos retulere Commentarios Euſebius, Oroſius, Eutropius: & ex recentioribus, Sigonius, Panvinius, Albertus Pighius, ex Feſto. Euſebius ea accidiſſe II. Anno a Nino MCCCCLX. meminit; victos enim hoc anno Prænestinos a Quintio, ſignavit. Prænestinorum quoque ab eodem capta oppida quidam ſeptem numeravere. Nos octo cum Livio, præter Prænestinam ipſam urbem, aſſerimus. Joannes vero Columna geſta hæc Artaxerſis ætate fuiſſe, ſupputavit. Hoc maxime Prænestinos inter atque Romanos bellum reſpiciens Florus, inter cetera, de primis Romanæ Reipublicæ ſæculis pronuntiavit. *Tibur nunc ſuburbanum, & æſtivæ Prænestæ deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur.* Poſt hæc autem quies aliquandiu, & ab armis ceſſatio Prænestæ fuit. Verum extremo anno CCCLXXXV. tumultuatum; quod Prænestini concitatis Latinorum populis rebellarunt. Anno CCCCXLV. Gallos Bojos Prænestæ veniſſe, atque inde circa Pedum conſediſſe, auditum eſt. Dictator tamen C. Sulpitius illos fugavit. Conſpiratione denuo Latinorum ad Lucum Ferentinæ facta adverſus Romanos, quod æquo imperio Latini cum Romanis Rempu-

II. *In Chronic.*

blicam adminiſtrare contendebant, pugnatum in agro Prænestino, via, quæ ad Vereſim amnem ducit. Victi Latini. Coſſ. T. Æmilio Mamerco, Q. Publilio Philone, Æmilius ad Pedum Latinæ gentis & regionis oppidum, Prænestinis confine exercitum duxit. Pedanos tuebatur Tiburs Prænestinus Veliternuſque populi. Obſeſſum aliquandiu Pedum. ſed ſoluta mox eſt obſidio, ſociis acriter oppidum tutantibus. Bellum inde a Conſule, præ triumphi cupiditate omiſſum. Sequenti anno cum Senatus Pedum expugnandum, ac delendum funditus cenſuiſſet; nonniſi a paucis ſociorum Pedani adjuti ſunt. Inter hos præcipui, atque omnium fidiſſimi ac fortiſſimi Prænestini & Tiburtes fuerunt, utpote quorum agri loco propiores ceteris eſſent. L. tamen Furius Camillus vi cepit Pedum, delevit, & Latium omne late ſubegit. multi in Urbem traducti. Prænestini & Tiburtes agri parte mulctati ſunt. Denique V. C. CCCCLXXIII. P. Valerio Lævino & T. Coruncanio Conſulibus, poſt nobilem Lævini Conſulis cum Pyrrho Epirotarum rege tunc primum in Italiam tranſmiſſo pugnam, ad Heracleam fluvium, quæ prima Romanis cum tranſmarino hoſte fuit; victoria rex exultans impotenter abuſus eſt. Conjunctis enim ſibi Samnitibus, Lucanis, Brutiisque, Romam perrexit: omnia ferro ignique vaſtavit. Campaniam depopulatus eſt, atque Prænestе venit, milliarium ad uſque XVIII. Viâ Prænestinâ. mox terrore exercitus, qui cum Conſulibus

ſe-

ſequebatur, in Campaniam regreſſus eſt. De illo Florus: *Victor*, inquit, *primo prælio Pyrrhus totam trementem Campaniam, Lirim, Fregellaſque populatus, prope captam Urbem a Præneſtina arce proſpexit. & a viceſimo lapide oculos trepidæ civitatis fumo ac pulvere implevit*. Illud notandum; quod Eutropius, & ex eo Pæanius Pyrrhum decimo octavo ab Roma lapide cum exercitu conſtitiſſe, Florus autem vigeſimo, ſcripſerint. Cujus diſcriminis cauſſas jam 12. ſupra nonnullas adduximus, diſcuſſimus, & quantum licuit, etiam conciliavimus. Ceterum captam tunc a Pyrrho Præneſten, non dubitamus. direptam, neque legimus, neque ſuſpicamur. Deditionem enim a Præneſtinis tanto hoſti, tantæque famæ factam continuo, veriſimile eſt. præcipue cum vicinorum oppidorum acceptas clades, eo quod regis impetum omnia corripientem frænare reſiſtendo voluiſſent, Præneſtini ob oculos, miſerandum exemplum haberent. Atque hæ quidem Præneſtinorum res geſtæ adverſus Romanos, ad celeberrimum uſque Punicum in Italia bellum, extitere. Deinceps quanta iidem virtute, fide atque conſtantia, pro Romanis adverſus Annibalem, terribilem diuturnumque quammaxime hoſtem, fuerint, in medium proferemus.

12. *Cap. primo hujus Libri.*

CAPUT IV.

De singulari Prænestinorum adversus Annibalem fortitudine, & erga Romanos fide.

Diu Prænestini Romanorum jugum detrectantes excutere illud sæpissime non destiterunt. Hinc illæ excursiones, pugnæ, defectiones, quas hactenus recensuimus. Cum vero ab Romanis honestissimo Latinorum Jure, atque ipsa etiam Romana Civitate, donati sunt; robur omne, omnemque fidem, quibus antea pro patriæ libertate, pro aris & focis, pugnaverant, in amicitia Romani Populi colenda, eumque in amplificando imperio, vel certe tutando, strenuissimorum militum delectibus assiduis, juvare non cessaverunt. Quare in exercitu Romano Prænestinorum semper cohortes, atque adeo legiones quandoque ipsæ, numeratæ sunt, quæ sub proprio Prætore stipendia Populi Romani facerent. Luculentum hujusce rei testimonium Livius protulit; 1. historiolam non injucundam de Prænestino quodam in Castris Romanis Prætore commemorans. quam pariter Sextus Aurelius Victor, Valerius Maximus, & Ammianus Marcellinus, suis quisque Commentariis inseruerunt. *Prænestinus* (Livii verba) *Prænestinus Prætor per timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem; quem cum inambulans ante tabernaculum L. Papirius Cursor, comis idem, & jocorum studiosus, Dictator vocari jussisset;*

1. *Lib. 9.*

set; lictorem expedire securim jussit. ad quam vocem exanimi stante Prænestino, Agedum, lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus. perfusumque ultimi supplicii metu, mulctâ dictâ, dimisit. Si tamen segnius paullo Prætor hic Prænestinus cum suis militibus egerat; dedecus id quodcumque fuerit, ab alio Prænestino Prætore, fortissimisque suis Prænestinis manipulis, copiosissime fuit redemtum. Bello id Punico secundo factum, Annibale crebris insolescente victoriis, Italiam, ac maxime Campaniam vastante. Rem ex Livio sic retexemus. 2. Flaminio & Servilio Coss. Q. Fabius Maximus Dictator, accepto a Fulvio Flacco exercitu, quod hic Legatus esset, per agrum Sabinum, Tibur, quo diem ad conveniendum edixerat novis militibus, venit. Inde servili quoque agmine sibi adjuncto, Prænestе, transversis tramitibus in Viam Latinam, regressus est. brevique prope Arpos Apuliæ oppidum, Diomedis Conditoris fama celebre, pervenit; atque ad Annibalis castra contendit. Pœnus, victoria ad Thrasymenum reportata, ferox, in Campaniam contendere, ac nominatim Casinatem agrum pro Castrorum statione expetere. Verum ducis errore, quem virgis cæsum in crucem sustulit, longis ambagibus non in Casinatem, sed in Casilini oppidi agrum Punicus devenit exercitus. Fabius, Annibalis mora usus, Casilinum ipse oppidum occupat præsidiis modicis. Ea urbs Vulturno diremta flumine Falernum a Campano agro quondam divisit. 2. *Liv. L. 22.*

Ea-

Eadem nunc nobis est *Capua*; postquam Capuæ Veteris ad illam populi reliquiæ translatæ sunt. Distabat autem Antiqua illa ditissima, & potentissima Capua ab recenti, sive oppido olim Casilino, tria circiter passuum millia, loco, qui nunc *Santa Maria di Capua*, sive absque addito *Santa Maria* nominatur; ubi ingentes excisæ Urbis ruinæ, ac præcipue amphitheatri magnificentissimi e vivo & quadrato lapide; cum pervetusto nomine *Virilassi* seu *Vitulassi* Annibalis & suorum mollitiem, & delicias, quibus enervati ac delassati sunt, ut nonnulli dictitant, memorante. Consulibus autem M. Atilio Regulo Cn. Servilio Gemino; sive V. C. DXXXIV. in longum res est protracta. Verum L. Æmylio Paullo, M. Terentio Varrone suffectis, Terentii temeritate, fœdissima Romanorum ad Cannas strages subsecuta; Marcellus Claudius Casilini cum exercitu consistens, mox Nolæ opem tulit.

Hinc Annibal, Acerris direptis atque incensis; cum a Casilino Dictatorem Romanum, Legionesque nuncii accipi nunciassent; ne quis tam propinquis hostium castris, Capuam quoque recurrat, exercitum Casilinum ducit. Casilinum eo tempore quingenti Prænestini habebant cum paucis Romanis, Latinique Nominis, quos eodem audita Cannensis clades contulerat. Hi, non confecto Prænestе ad diem delectu serius profecti domo, cum Casilinum ante adversæ pugnæ famam veniissent, & aliis aggregarent sese Romanis sociisque; profecti

a Ca-

a Casilino, cum satis magno agmine irent, avertit eos retro Casilinum nuncius Cannensis pugnæ. Ibi, cum dies aliquot suspecti Campanis, timentesque, cavendis ac struendis invicem insidiis traduxissent; jamque de Capuæ defectione agi, accipique Annibalem, satis pro certo habuere; interfectis nocte oppidanis, partem urbis, quæ citra Vulturnum est (eo enim dividitur amni) occupavere: idque præsidium Casilino *habuerunt Romani*. Suaresius hic cum Antonio Regio Tiburtino Historico in Silium Italicum insurgit, eumque manifesti mendacii postulare non dubitat; quod in recensendis Romanorum copiis, quæ cum Annibale decertarunt apud Cannas, Prænestinorum quoque auxilia inducat longa serie ac narratione. Cum ex Livii verbis modo recitatis, manifesto ceteroqui constet, Prænestinos illi non interfuisse certamini, seriusque venisse; ac ea propter Casilinum oppidum perfugium sibi depoposcisse. Verum Silio parcendum omnino est, multa jure suo, Poetæ scilicet, fingenti ac comminiscenti. Ceterum, & Prænestinos Cannensi pugnæ interfuisse, non dubito; non illos quidem, qui serius delectu Prænestæ habito, post eam pugnam Casilinum occupaverunt; sed alios, qui ante illam in Romanis Castris constanter de more stipendia fecerant. Non enim tantum in rebus arctis, quales tunc maxime fuerunt, Latini, quos inter Prænestini præcipue, in exercitu Romano versabantur; verum justa militia annos plures sub armis exigebant.

Si

Si enim recte percipere volumus, Romani exercitus robur ac nervi, semper ipsi Latini, Sabini, aliique circa Romam populi, fuerunt. Quare Silius Præneſtinos in Cannenſi pugna recenſens veriſimilia ſecutus eſt; eumque Prænestinorum morem, in armis ſemper pro Romanis verſandi, ſignificavit. Silii verſus opportunius infra recitabimus. Nunc ad Prænestinos Casilino incluſos revertendum. Itaque quingentis Prænestinis, (perſequitur narrationem Livius) *additur & Peruſina cohors, homines quadringenti ſexaginta*, eodem nuncio, quo Prænestini, paucos ante dies Casilinum compulſi. & ſatis ferme armatorum ad tam exigua mœnia, & flumine altera parte cincta, tuenda erat. penuria frumenti nimium etiam ut videretur hominum, efficiebat. Annibal cum jam inde haud procul eſſet; Getulos cum Præfecto, nomine Iſalca, præmittit: primo, ſi fiat colloquii copia, verbis benignis ad portas aperiendas, præſidiumque accipiendum pellicere jubet. ſin in pertinacia perſtent; rem gerere, ac tentare, ſi qua parte invadere urbem poſſit. Ubi ad mœnia acceſſere, quia ſilentium erat, ſolitudo viſa, metuque conceſſum, Barbarus ratus; moliri portas & ſeras, clauſtraque effringere parat. Cum patefactis repente portis, cohortes duæ ad id ipſum inſtructæ intus ingenti cum tumultu erumpunt, ſtragemque hoſtium faciunt. Ita primis repulſis, Maharbal cum majore robore virorum miſſus, nec ipſe eruptionem cohortium ſuſtinuit. Poſtremo Anni-

nibal, caſtris ante ipſa mœnia oppoſitis, parvam urbem, parvumque præſidium ſumma vi atque omnibus copiis oppugnare parat. ac, dum inſtat, laceſſitque, corona undique circumdatis mœnibus, aliquot milites, & promptiſſimum quemque, e muro turribuſque ictos amiſit. Semel ultro erumpentes agmine elephantorum oppoſito prope interclusit; trepidoſque compulit in urbem; ſatis multis, ut ex tanta paucitate, interfectis. Poſtero die omnium animi ad oppugnandum accenduntur; utique poſteaquam corona aurea muralis propoſita eſt: atque ipſe dux, Caſtelli plano loco poſiti ſegnem oppugnationem, Sagunti expugnatoribus, exprobrabat: Cannarum, Thraſymenique & Trebiæ ſingulos admonens, univerſoſque. Inde vineæ quoque cœptæ agi, cuniculique. Nec ad varios conatus hoſtium aut vis ulla aut ars deerat. Socii Romani propugnacula adverſus vineas ſtatuere; tranſverſis cuniculis hoſtium cuniculos excipere; & palam & clam cœptis obviam ire: donec pudor etiam Annibalem ab incœpto avertit: caſtriſque communitis ac præſidio modico impoſito, ne omiſſa res videretur, in hiberna Capuam conceſſit. Hactenus Livius, qui Capuanis deliciis fractum Annibalem poſtquam pluribus enarravit, memorat rurſum, inclinata jam hieme, ducto ex hibernis milite, Pœnum ad Caſilini validam oppugnationem reverſum. Ceterum ipſam inter hiemem, quamvis ab oppugnatione ceſſatum; non tamen obſidio ſoluta

fuerat. Unde factum, ut oppidani simul cum præsidiariis Prænestinis ac Perusinis ad ultimum inopiæ devenirent. Neque ab Romanis auxilium unde unde allatum erat; neque spes in proximo, ut ferretur, ulla apparebat. Siquidem Romanis Castris T. Sempronius præerat, Dictatore Fabio, auspiciorum petendorum caussa Romam profecto. Quare, injussu Dictatoris arma, nedum castra movere, nefas. Claudius quidem Marcellus cum altera Romani exercitus parte Nolæ subsistens, Casilinensium sociorum angustiis auditis, ad eos juvandos cum suis sæpe conatus fuerat; semper tamen Nolanorum, & Acerranorum ab Campanis sibi extrema pertimescentium, si semel Romano præsidio destituerentur, efficacissimis, ac præsentissimis precibus detentus est. Gracchus tantum supererat, cum reliqua copiarum parte, omnium Romanorum Casilino maxime proximus, & pene illi assidens cum exercitu. Verum, quia edictum erat Dictatoris, ne quid eo absente rei gereret; nihil movebat. Tanta erat Romanis supremi illius Magistratus reverentia. Tanta militaris rei, tamque severa, disciplina! Quamquam, quæ facile omnem patientiam vincerent, nunciabantur a Casilino. Nam & præcipitasse se quosdam non tolerantes famem, constabat; & stare inermes in muris nuda corpora ad missilium telorum ictus præbentes. Ea ægre patiens Gracchus, cum neque pugnam conserere, Dictatoris injussu, auderet, pugnandum tamen esse, si palam

lam frumentum importare vellet, videret; neque clam importandi ſpes eſſet; farre ex agris undique convecto cum complura dolia compleſſet, nuncium ad Magiſtratum, Caſilinum miſit, ut exciperent dolia, quæ amnis deferret. Inſequente nocte intentis omnibus in flumen, ac ſpem a Romano nuncio factam, dolia medio miſſa amni defluxerunt. æqualiter inter omnes frumentum diviſum. Id poſtero quoque die ac tertio factum eſt. Nocte & mittebantur, & perveniebant, & cuſtodias hoſtium fallebant. Imbribus deinde continuis citatior ſolito amnis, tranſverſo vortice, dolia impulit ad ripam, quam hoſtes ſervabant. ibi hærentia inter obnata ripis ſalicta conſpiciuntur. nunciatumque Annibali eſt. Et deinde intentiore cura cautum, ne quid falleret Vulturno ad urbem miſſum. Nuces inde fuſæ a Romanis, cum medio amni ad Caſilinum defluerent, cratibus excipiebantur ab obſeſſis. Verum his quoque ab Pœnis, ne pervenirent, impeditis; poſtremo ad id ventum inopiæ eſt, ut lora detractaſque ſcutis pelles, ubi fervida molliſſent aqua, mandere conarentur; nec muribus aliove animali abſtinerent; ut omne herbarum radicumque genus aggeribus infimi muri eruerent. Et cum hoſtes obaraſſent quidquid herbidi terreni extra murum erat, raporum ſemen injecerunt: ut Annibal, *eo ne uſque dum ea naſcantur, ad Caſilinum ſeſſurus ſum*, exclamaret. Cumque antea numquam ullis honeſtæ deditionis conditionibus aures præbere vo-

luiſſet ; tum denique obſeſſorum, Prænestinorum maxime, invicta adeo constantia victus ipse, de redemptione agi secum passus est. Itaque deditio in hæc fœdera stabilita. Septunces auri in singula libera capita obsessi Pœnis appenderent. Oppidum liberum obsessoribus dimitterent. Præsidiarii cum fide in tutum alium Romanorum sociorum locum perducerentur incolumes. Fide igitur sic accepta, sese tradiderunt Prænestini Perusinique. donec tamen omne aurum persolutum est, in vinculis habiti. tum remissi Cumas cum fide. Prænestini maxima pars fuere. Ex quingentis septuaginta minus dimidium ferrum famesque absumsit. Ceteri incolumes cum Prætore suo Manitio, qui Scriba olim fuerat, redierunt. Statua ejus indicio fuit Prænestæ in foro statuta, loricata, amicta toga, velato capite : & tria signa cum titulo laminæ æneæ inscripto, *Manitium pro militibus, qui Casilini in præsidio fuerint, votum voviſſe*, Idem titulus tribus signis, in Ædе Fortunæ positis, fuit subjectus. Casilinum oppidum redditum Campanis est, firmatum septingentorum militum de exercitu Annibalis præsidio : ne, ubi Pœnus, inde abscessisset, Romani oppugnarent. Prænestinis militibus Senatus Romanus duplex stipendium & quinquennem militiæ vacationem decrevit. civitate cum donarentur, non mutaverunt. Perusinorum Casûs obscurior fama est; quia nec ipsorum monumento ullo est illustratus; nec decreto Romanorum. Hæc ferme de Livii, ac

Sua-

Suareſiii Livium referentis, penu deprompta ſunt. Quidam apud Livium, Prænestinos hoſce cum reliquo Caſilini præſidio ab Annibale, violata fide, per equites Pœnicos, dum e mœnibus egrederentur, immiſſos, trucidatos ad unum omnes fuiſſe, meminerunt. falſo tamen, ut vel ex iis, quæ ipſe Livius refert, monumentis, ſtatuæ nempe Manitio Prænesſte poſitæ, vacationis quinquennalis a militia, & donatæ Prænestinis iiſdem civitatis, ob rem fortiter geſtam, liquido conſtat. Trecentos Valerius Maximus Prænestinos fuiſſe dicit, cui Verderius ſubſcribit. Facile tamen his convenire cum Livio poterit, ſi quingenti, cum fuerint integris rebus, minuſque dimidio in oppugnatione amiſſo, reliqui trecenti circiter remanſerint. Valerii verba de Prænestinis Caſilini incluſis, & extrema fame oppreſſis, prætermittenda non ſunt; cum egregium vitandæ avaritiæ documentum legentibus præbere poſſint. Itaque, *in illa obſidione* (Caſilini ſcilicet, de qua & antea fuerat locutus) *in illa obſidione & fide*, inquit, *cum trecenti Prænestini permanerent, evenit; ut ex his quidam murem captum ducentis potius denariis vendere, quam ipſe, leniendæ famis gratia conſumere mallet. Sed credo deorum providentia effectum, ut & venditori & emptori, quem uterque merebatur, exitum attribuerit. Avaro enim fame conſumto manubiis ſordium ſuarum frui non licuit. æqui animi vir ad ſalutarem impenſam faciendam caro quidem, verum neceſſario comparato cibo vixit.* 3. Feſtus ait, Nucularum cognomen 3. *Lil. 7. c. 6.*

Præ-

Prænestinis omnibus exinde cœptum, quod in oppugnatione Casilini famem nucibus leniviſſent. Nos hujus vocabuli alias, ubi de Agro Prænestino ageremus, cauſſas, ſive origines, protulimus. Si tamen hæc admittenda ſit, quam Feſtus enuntiat, glorioſiſſimum profecto id Prænestinis fuerit cognomentum, utpote quod invictiſſimæ conſtantiæ atque tolerantiæ, ſpectatiſſimæque ac probatiſſimæ ſocialis fidei immortale ac perenne monumentum foret. Non omiſerim, Joannem Columnam in ſuis de Prænestinorum rebus Commentariis, prodidiſſe, ab Prænestinorum præſidiariorum Caſilini conſtantia victum Annibalem, de deditione demum deſperaviſſe; ab eoque obſidionem ſponte ſolutam. Livio tamen nos adhæremus, adhærendumque ab omnibus, exiſtimamus. Reusnerus etiam per errorem, Prænestinos intra Prænestes urbis muros ab Annibale obſeſſos fuiſſe, memoravit; quod de Caſilini mœnibus dicendum fuerat. Ceterum Manitius Prænestinus Prætor fortiſſimorumque Caſilini præſidiariorum dux inclytus ſtatuam meruit Prænestæ, Romani Senatus decreto. quod perrarum eo ſæculo fuit; quando honores hujuſmodi veris benemerentibus re ſtrenue geſta deferebantur; non, ut poſterioribus deinde ſæculis, per ſummum abuſum, fieri conſuevit, ut mimis ac pantomimis, gladiatoribus, agitatoribus, adulatoribuſque Imperatorum libertis, peſſimis hominibus, ſtatuæ cum inſcriptionibus ac titulis honorificentiſſimis publico loco conſti-

ſtituerentur. Itaque Manitii ſtatua Prænesſte, honorificentiſſimo Romanis Senatus decreto, in foro Prænesſtino, loco honesſtiſſimo conlocata fuit, loricata, amicta toga; capite velato. quæ fortis, nobilis, ac ſacri veluti viri inſignia erant. Stabant eodem in foro tria ſigna, cum titulo laminæ æneæ inſcripto: MANITIVS. PRO. MILITIBVS. QVI. CASILINI. IN. PRÆSIDIO. FVERINT. VOTVM. VOVIT. Quibus vero numinibus id votum atque ea ſigna Manitius dedicaverit, dubitari profecto poteſt. cum id Livius, aliuſve ex antiquis Hiſtoricis minime ſignificaverit. Suareſius quidem ex Livio ipſa ſigna, ſeu melius, iis tribus, 4. quæ in foro ſtabant, ſimillima totidem, iiſdem cum titulis in æde Fortunæ Prænesſte conſtituta fuiſſe, memoravit. Ex quo ſigna illa, Fortunæ ipſi, Jovi puero, & Serapidi dedicata fuiſſe, eademque numina repræſentaſſe facile perſuadear. cum tam celebris horum deorum cultus Prænesſte foret. Si tamen Serapidis eo tempore cultus in Italia fuit. Trecenti vero illi Prænesſtini, qui cum Manitio duce oppugnationi Caſilini, ac deditioni ſuperfuerant, quinquenni militiæ vacatione, & Romana civitate donati, *non mutaverunt*; inquit Livius. quid hoc? Utique non mutaverunt inſtitutam vitæ rationem; neque miſſione, ſcilicet, tam honeſta, & vacatione uſi, neque ſolum vertentes, ut pro Prænesſtinæ urbis domicilio, Romam ad inhabitandum ſeſe conferrent. In quo & ſummam ſuam in perſequenda militia fortitudinem, & ſummam

4. *Cap.* 18. *l.* 1.

mam in Romanos fidem, in eorum auxilio perſeverando, ſummam denique in patriam charitatem, illi Romanæ urbis amplitudinem poſthabendo, declaraverunt.

Jam vero, Prænestinorum erga ſe fide luculentis adeo argumentis perſpecta, Romani, Pœnorum captivam multitudinem illis, utpote fideliſſimis cuſtodibus, ſervandam apud ſe, tradere non dubitarunt. Miſſi igitur Prænesten in cuſtodiam plurimi. Quos Prænestini ceſſare minime patiebantur. Verum, ſonantibus ferro cruribus, agricolationem ut exercerent, illis vehementer inſtabant. Alia etiam publica opera intra urbem moliri eos cogebant. Quæ, dum acrius urgerent, Pœni ea virtute, quæ & quondam victis redit in præcordia, ſecreto primum irruptionem & conjurationem machinari; mox in apertam ſeditionem adverſus Prænestinos erumpere, fugamque ac libertatem, ſervatorum ſuorum per occiſionem, tentare. Malo occurſum nihilominus, tempori, eſt; repreſſuſque tumultus; & in ſeditionis duces animadverſum. æquioribuſque de cetero imperiis in captivos eoſdem actum, ne deſperatione adacti, quod ſæpe fit, in extrema quæque præcipites ruerent. Quamquam autem hæc eo ſæculo Prænestinorum eſſet erga Romanos fides; atque hæc pariter Romanorum in Prænestinos amicitia atque fiducia; unius tamen Romanorum Lucii Poſthumii Albini Conſulis offenſionem vitare Prænestini non valuerunt. Fuit hic Conſul

cum

cum Marco Popilio Lænate, Urbis Conditæ DLXXX. Iratus eſt autem Prænestinis idcirco, quod cum Prænestæ privatus, ſacrificii in templo Fortunæ faciundi ergo, profectus eſſet, nihil in ſe honorifice neque publice neque privatim factum a Prænestinis fuerat. Quare, cum jam Conſul in Campaniam ad agros publicos a privatis dividundos, proficiſceretur; Prænestæ contendit. Ac priuſquam proficiſceretur, literas Prænestæ miſit, ut ſibi Magiſtratus obviam exiret; locum publice pararet, ubi diverteret; jumentaque, cum exiret inde, præſto eſſent. Fuit hoc Poſthumii Conſulis ſummum jus in ſocios Populi Romani exercitum; ante illum enim nemo Conſulum unquam ſociis ulla in re oneri aut ſumptui fuit. Ideo Magiſtratus mulis tabernaculiſque, & omni alio inſtrumento militari ornabantur; ne quid tale imperarent ſociis; privata hoſpitia habebant; ea benigne comiterque colebant: domuſque eorum Romæ hoſpitibus patebant, apud quos ipſis divertere mos eſſet. Legati, qui repente aliquo mitterentur, ſingula jumenta per oppida, iter qua faciundum erat, imperabant. aliam impenſam ſocii in Magiſtratus Romanos non faciebant. Injuria Conſulis etiam ſi juſta, non tamen in Magiſtratu exercenda, & ſilentium nimis aut modeſtum aut timidum Prænestinorum, jus, velut probato exemplo, Magiſtratibus fecit, graviorum in dies talis generis imperiorum 5. Sic ferme Livius. Prænestinus autem Magiſtratus, cui Poſthumius iratus fue-

5. *L. 42. init.*

rat, jumentaque & cetera imperaverat, Prætor potiſſimum fuit. quamquam & Decuriones mox in Colonia Præneſte deducta, aliique, de quibus opportune differemus, creati fuiſſe Præneſte, ſuperſtitibus in Præneſtinorum monumentis leguntur.

Antequam de Præneſtinorum ſingulari erga Romanos fide ſermonem abſolvamus; Silii Italici carmina quædam ab Marco Antonio Regio Tiburtino Hiſtorico, & illi innitente Suareſio falſitatis redarguta, referre placet; in quibus poeta Præneſtinos cum reliquis auxiliaribus copiis pugnantes pro Romanis in celeberrimo prælio cum Annibale apud Cannas inducit. Sunt autem hæc carmina [6].

6. L. 8.

Faunigenæ, ſocio bella invaſere Sicano,
Sacra manus Rutuli, ſervant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent, & fonte Numici.
Quos Caſtrum, Phrygibuſque gravis quondam Ardea miſit.
Quos celſo devexa jugo Junonia ſedes
Lanuvium, ac altrix caſti Collatia Bruti.
Quique immite Nemus Triviæ, quique Oſtia Tuſci
Amnis amant, tepidoque fovent Almone Cybelem.
Hinc Tibur, Catille, tuum; SACRISQUE DICATUM
FORTUNÆ PRÆNESTE JUGIS; *Antemnaque priſco*
Cruſtumio prior; *atque habiles ad aratra Labici.*
Nec non ſceptriferi qui potant Tibridis undam,
Quique Anienis habent ripas, gelidoque rigantur
Simbrivio, raſtriſque domant Æquicola rura.
His Scaurus monitor; *tenero tunc Scaurus in ævo,*

Sed

Sed jam ſigna dabat naſcens in ſæcula virtus.
Non illis ſolitum criſpare haſtilia campo
Nec mos pennigeris pharetram implevisſe ſagittis.
Pila volunt, brevibuſque habiles mucronibus enſes,
Aere caput tecti, ſurgunt ſuper agmina criſtis.

Quid tamen in his Silii optimis verſibus culpandum merito ſit, non invenio. Non enim hic Poeta fuſe Prænestinos auxilio Romanis contra Pœnum euntes deſcripſit, aut enumeravit. quod ait Regius. Tantum enim ea verba in his carminibus ad Prænestinos peculiariter ſpectant: *ſacriſque dicatum Fortunæ Prænesteſte jugis*, quæ idcirco in carminum recenſione majoribus literis excudenda curavimus. Ceterum Scaurum ducem quidem etiam Prænestinorum & Latinorum reliquorum, quos hic recenſet, Silius facit; proprie tamen Æquicolarum. In armorum quidem varietate ac diverſitate ab reliquis militibus deſcribenda, Prænestinos reſpexiſſe, Poetam crediderim; imitaturum ſcilicet, ut ſemper facit, Virgilium; qui Prænestinorum legionis ſub duce Cæculo peculiaria arma deſcripſerat. Ceterum neque in veritatem peccavit Silius, (quamquam poetæ quis hoc vitio vertat?) dum Prænestinos cum reliquis Romanorum auxiliaribus copiis recenſuit. Licet enim Prænestinorum cohortem, quod ad dictam diem delectus Prænesteſte completus non fuerat, ſerius ad Romanum exercitum in Appuliam veniſſe, & pugna jam apud Cannas perpetrata, ex Livio noverimus; poeta tamen hoc, in

ſuo opere, ad alia properans, jure potuit diſſimulaſſe; populos omnes, ac ſingulos, quibus milites imperati fuerant ab Romanis, enumeraſſe contentus. Quod autem & Prænestinis milites fuerint imperati, veriſſimum eſt. At, inquies, peccavit Silius in hiſtoriæ veritatem, dum Prænestinos duos Marium & Caſprum in Cannenſi pugna decertantes, ac fortiter occumbentes induxit; ſiquidem Prænestini ex Livio, ſerius, ac peracta jam ea pugna, ad Romanorum exercitum venerunt. Sunt autem Silii verſus hujuſmodi 7.

7. Lib. 8.

Sternitur, unanimo Marius ſuccurrere Caſpro
Conatus, metuenſque viro ſupereſſe cadenti.
Lucis idem auſpicium, ac patrium & commune duobus
Paupertas. ſacro juvenes Præneste creati
Miſcuerant ſtudia, & juncta tellure ſerebant.
Velle ac nolle ambobus idem, ſociataque toto
Mens ævo, ac parvis, dives concordia rebus.
Occubuere ſimul. votiſque ex omnibus unum
Id Fortuna dedit; junctam inter prælia mortem.

Conſtanter tamen ajo, nihil neque hac narratione peccaſſe poetam adverſus hiſtoriæ veritatem. Licet enim Prænestinorum cohors, ex Livio, Cannenſi pugnæ non interfuerit; nihil tamen hoc impedit, quin ſpontanei Prænestini unus & alter, immo etiam plures in veterano Romanorum exercitu militarent. Quales, ſi Marium & Caſprum Prænestinos a Silio deſcriptos, fuiſſe dixerimus; jam Poetam nitidiſſimum & prudentiſſimum ab omni falſi-

ta-

tatis mendo satis superque purgatum habebimus. Ceterum, in Mario hoc Prænestino nominando, respexit Silius ad ea, quæ, in Sullani ac Mariani belli reliquiis, juniori Mario Prænestæ evenere, quodque Marianæ factionis hæc urbs fuit; idcirco Marium illi civem appingit. Quemadmodum in Pediano Patavino, Milone Lanuvino, Tullio Arpinati, Sylla Ferentinati, aliisque præstitit; ad clarorum virorum vera nomina, qui in iis urbibus floruerunt, vel præclaras, aut literis, aut armis res gesserunt, respiciens. *Sacrum* autem & hic appellavit Prænestæ, ut antea *sacris jugis* dixerat, ob Fortunæ Primigeniæ celeberrimum templum. Quam etiam Mario & Caspro civibus suis, unum, ait, votum indulsisse, ne scilicet alteri alter superstes foret; quod amicissimis durissimum est. Unde Fortunæ templum Prænestæ vel Punici Secundi Belli ætate jam stetisse, utcumque confirmari possit. Denique Prænestinorum virtus in defensione Casilini exhibita Silium non latuit. & quamvis obiter, atque ad alia properans, rei sic meminit; de Annibale in Campaniæ oppida furente, & ad Tarenti expugnationem properante locutus. 8.

8. Lib. 12.

At Lybiæ ductor Marcello fractus, & acri
Contusus pugna, Campos damnarat, & arma
Verterat ad miseras non æqui Martis Acerras.
Inde, ubi permisit flammis atque ensibus urbem
Nuceriæ; nihilo levior nec parcior ira
Incussit jese, atque æquavit mœnia terræ:

Post

Poſt Caſilina ſibi multum oblu&tatus iniquis
Defendentum armis, ægre reſeraverat aſtu
Limina, & obſeſſis vitam penſaverat auro.

CAPUT V.

De Civilibus Bellis apud Præneste decertatis.

INFANDUM hic lex Hiſtoriæ dolorem renovare nos jubet, Prænestinas ſcilicet ut opes eruerint, & Prænestinos ipſos cives exciderint, non quidem Danai, ut ille ajebat, quodque tolerabile utcumque fuiſſet; verum, quod multo miſerabiliſſimum eſt, ſocii ipſi Romani, cives ſuos olim fideliſſimos, atque amantiſſimos. Rerum ſeries ex Appiano maxime atque Plutarcho deprompta ita ferme habuit. Octavio & Cinna Conſulibus, cum C. Marius in exilium actus cum ſuis ob civilem L. Cornelii Syllæ æmuli in ipſa urbe Roma victoriam (hoc in Aſiam jam dimiſſo ad Mithridaticum bellum perſequendum) amicos ſollicitaret, ut adverſarii abſentiæ occaſione captata, ſeſe ab exilio in patriam revocarent; id tandem, qua ſollicitationibus, qua precibus, qua pollicitationibus obtinuit, ut Cinna Conſulum alter de Mario, & Marianis revocandis publice rogationem ferret. Victus tamen ab Octavio Collega, atque optimatibus, qui Syllæ & Syllanis conſtitutis rebus favebant,

bant, vi ab urbe ejectus est Cinna. Quodque tumultum civilem excitasset, servos vocasset ad pilea, & patriam in discrimen adduxisset; Consulatu illum, & civitate Senatus privavit. suffectusque in ejus locum Lucius Merula Consul. Cinna continuo Tibur sese, mox Prænestе cum suis contulit. Cumque hæ urbes paullo ante civitate Romana donatæ fuissent, essentque maxime opulentæ; rei apud primores earum indignitate multis pro concione propositа, illas ad ultionem injuriarum sibi legitimo Consuli, ac Mario viro fortissimo, sexies eo supremo Magistratu functo, ducique invictissimo, atque tot millibus hostium Romani nominis, Cimbris præsertim, letho datis, de ingratissima patria Benemerentissimo, tunc exuli, illatarum, adversus præpotentes & nefarios Sullanæ factionis homines Cinna inflammavit. Initium hoc malorum, pestis hæc prima Prænestinis fuit. Siquidem tanti viri, Marii, commemoratione commoti, oppressumque civem clarissimum ab ingrata patria, omni ope dignissimum, juvare æquissimum rati; Cinnæ persuasionibus dedere manus. illumque pecuniis, annona, milite, juvaturos se unanimiter spoponderunt. Nec sponsis fides abfuit. Itaque Marianæ factionis Prænestе publice declarata est; Cinna, per summam industriam, ex urbe tunc temporis opulentissima, ingentem, supra quam credi potest, pecuniæ vim congregante. Mox Capuam ipse digressus, & miserabili oratione Campanorum, & militum animis

sibi

ſibi conciliatis, cum exercitu, cujus pars validiſſima Prænestini erant, Romam contendit. cumque Mario & Marianis se conjunxiſſet; ab Appio Claudio Tribuno militum per portam Janiculenſem ultro admiſſus, Romanos ſibi aut vi aut metu conciliare tentabat. Verum ab Octavio Conſule & Pompejo, fortiſſimorum civium manu ſtipatis, rejectus continuo, ad proximas urbes atque Colonias, ut quæque Sullanæ factionis erant, ſtragem convertit. Itaque Antium, Ariciam, Lanuvium, aliaſque vicinas devaſtavit. Servis deinde rurſum vocatis ad pilea, ac plurimis congregatis, cum ingentem Senatui timorem incuſſiſſet, ne Romam ipſam funditus tolleret, pacifice intra mœnia, atque adeo Curiam, cum Mario ſimul admiſſus eſt. Nec deerant talia molientibus Prænestini milites. Quas autem ex hinc tragœdias, quas civium cædes, & proſcriptiones, Cinna Mariuſque, incredibili furore atque crudelitate, in Urbe excitaverint, ac perpetraverint, nimium, perſequi ſingillatim, in longum narrationem noſtram adduceret. Conſulatur proinde ab talia minutatim recolere cupientibus Appianus Alexandrinus. 1. Nobis hoc ſatis fuerit innuiſſe, initio cædium ab Octavio Conſule detruncato in tumultu, ſumpto; nobiliſſimum quemque optimatum capite diminutum fuiſſe, & Forum capitibus hujuſmodi haſtis præfixis oppletum; omnia cæde, omnia ſanguine redundaſſe; quicumque Sullanæ factionis aut eſſet, aut ab inimicis deſcriberetur, vel

1. *Lib. Bell. Civil. primo.*

vel extinguebatur, vel, si fugam cepisset, proscribebatur, & bona ejus publicabantur. Sylla vero hostis Reipublicæ declaratus; bona ipsius Fisco addicta; domus solo æquata; uxor & liberi vix occultissima fuga servati. Jam vero Marianis rerum petitis, etiam Prænestinis, Marianæ factionis quod essent, bene esse videbatur. Attamen brevissima fuit hæc Mariana prosperitas. Vix enim septimum iniverat cum Cinna Collega Consulatum, & primo ipso Magistratus mense, die sextodecimo, cum in Africam trajecisset, absumtus est. Ex illo in pejus ruere, ac retro sublapsa referri res Prænestina loco. Sylla namque, inimicorum auditis in se decretis ignominiosissimis, suorumque clade; pacem statim cum Mithridate rege composuit; cumque exercitu militum ferociſſimorum, & pluribus victoriis exultantium, non minus quadraginta millibus, sexcentis navibus, incredibilique rerum omnium bellico apparatu instructus, Italiam petiit. Marianis pluribus præ intestina inter se discordia dissipatis; res tandem ad Papirium Carbonem, juniorem-que Marium devenit. Filius hic Caji Marii dicitur a multis; quamvis Appianus, illum tantum ejus consanguineum creditum, memoret. Plutarchus Marium hunc 2. juniorem Martis primo filium dictum, mox Veneris per jocum, scripsit. Siquidem cum virtute bellica primum polleret, fractus deinde voluptatum mollitie, ad extremum manus sibi conscisscere ab victore Sylla compulsus est. Hic, ita-

2. *In C. Mario.*

que, dum Carbo Collega alibi adverſus Pompejum decertaret, Prænesten fidiſſimam partium Marianarum civitatem, maximo utriuſque malo, belli ſedem delegit. Cumque a Sylla annonæ caritate urgeretur, paullulum inde receſſit; in agro tamen ſubſtitit Prænestino, circa, nempe, oppidum Sacriportus. Hic cum Sylla congreſſus, ferociſſimam pugnam concivit. exercitibus hinc atque hinc audacia & virtute incredibili decertantibus. Inclinato demum ſiniſtro Marianorum cornu, tribuni peditum quinque, duæque equitum turmæ, prælii exitum ulterius non ſuſtinentes, explicatis vexillis elatiſque ſignis ad Syllam transfugerunt. Hinc Marianæ cladis initium. plurimi enim qui apud illum fideles permanſerant,a Sullanis mox trucidati ſunt; reliqui fuga Præneste tenuerunt. Hos Sylla inſecutus perniciſſime, Marium ipſum intercipere conabatur. At Prænestini ſuos maturius advenientes cum intra portas excepiſſent, reliquis ob vicini Syllæ metum excluſis, Marium intra muros funibus demiſſis traxerunt. Sylla concitatum furorem, & dolorem, quod excluſus fuiſſet, in excluſos pariter Marianarum partium milites effudit; & plurimos ante Prænestinorum ora fœdiſſime trucidavit. multos etiam cepit. e quibus quotquot Samnites deprenſi ſunt, perpetui Romanorum hoſtes quod eſſent, pariter de medio ſuſtulit. Periiſſe in eo prælio Marianorum viginti millia, octo autem mille captivos factos, cum de Sullanis tres tantum & vigin-

ginti numero desiderati sint, Sylla ipse retulit in Commentaria, ut legimus apud Plutarchum in Sylla. Ceterum incluso Prænestinis mœnibus Mario, fossa urbem Sylla circumdedit. Cui perficiendo operi Lucretium Offellam præfecit, tamquam Marium non ferro, sed fame victurus. Quare Marius desperatione adactus in eos suorum, quos occultos proditores judicabat, animadvertere statuit. Indicto itaque Prænestinorum, ac primorum de exercitu, Concilio, per Brutum Prætorem suum, quasi de summa rerum consultaturus, impetu per dispositos milites facto, Publium Antistium, Papirium Carbonem, ab Consule alium, Lucium Domitium, & Mutium Scevolam Pontificem Romanorum interfecit. Domitii & Scevolæ corpora sepulcris condi vetuit; verum aquis altissime jussit demergi. In flumen, ait Appianus, ea corpora projici jussa a Mario. Ast ab historiæ hoc veritate abhorrere videtur. cum intra muros Prænestinæ urbis nullum neque sit, neque fuerit olim flumen; Mariusque incluſus Prænestinis mœnibus, ut in flumen extra illam urbem trucidatorum corpora demergerentur, difficile potuerit obtinere. Quare, melius, Domitii & Scevolæ cadavera in altissimas aquarum cisternas, quæ intra muros Prænestæ fuerunt, suntque adeo nunc quoque, projecta, jussu Marii, veritati propius crediderim. Interea Sylla, ad Prænestis oppugnationem relicto Lucretio Offella, ipse majorem exercitus partem Romam ver-

ſus præmiſit, ducibus, ut Urbis portis potirentur, juſſis. quod ſi minus id ſuccederet, Oſtiam copias omnes reducerent. Sullano huic exercitui civitates omnes ab Prænestina Romam uſque ſponte occurrere; Algidum, puta, Labicum, Tuſculum, Gabii, & ſi quæ aliæ eo in itinere tunc temporis erant. Qui ſimul ad Urbis portas caſtrametatus eſt; Lucius Sylla confeſtim ſubſecutus, in Campo Martio, copias omnes recenſuit, & explicavit. quarum multitudine Romani conterriti pacifice illum intra mœnia ſuſcepere; Marianæ factionis omnibus per averſas portas diffugientibus. quorum a Sylla publicata bona ſub haſta continuo veniere. Poſt hæc, pacata utcumque ingentibus pollicitationibus civitate, ſuorumque parte ad præſidium in ea relicta, Cluſium in Etruriam cum exercitu Sylla migravit; apud quam urbem cum Carbone Conſule acriter decertatum eſt, æquo fere marte, multis utrimque amiſſis. Altera etiam pugna circa Spoletum in Umbria fuit, Sullanis victoribus. Ceterum Carbo Conſul omnem opem fractis jam rebus ſuis in Marii Junioris Collegæ, qui intra Prænestinam urbem obſidebatur, liberatione ſitam, perſpiciens, eum vi omni ab obſidione expedire conatus eſt. Præcipue, cum ſumma illum annonæ caritate laborare, intellexiſſet; Lucretio Offella Syllæ legato, foſſa & vallo circumductis, itinera omnia, ne quid victus intra mœnia importaretur, diligentiſſime cuſtodiente. Itaque Marcium, prout Appianus illum nominat,

ad

ad Marii Junioris Consulis liberationem octo cum legionibus Carbo summisit. Verum Pompejus Syllæ legatus, cum insidias in angusto quodam transitu collocasset; Marianas legiones intercepit; pluribusque interfectis, reliquos intra collis cujusdam angustias concluſit. Dux tamen Marcius fuga evasit. quod exercitus cum cognovisset; dissipatus est continuo, Ariminum usque plurimis revertentibus; atque inde in suas domos dilapsis. ita ut cum Marcio duce septem tantummodo cohortes remanerent; quas ipse cum copiis Carbonianis conjunxit.

Inter hæc, Prænestini, quamvis extremis jam malis conficerentur, fidem tamen Mario Consuli datam non mutaverunt; neque inteſtina adversus Sullanos odia vel minimum mitigarunt. Porro auxilium, quod a Romanis suis Marianæ factionis frustra expectaverant, ab hostibus Romani nominis aliquando allatum sibi gratulati sunt. Siquidem Marcus Lamponius Lucanus, Pontius Telesinus, & Capineus Gutta Samnites, congregato suorum exercitu, ad hominum septuaginta millia, ad liberandum ab obsidione Consulem Marium, Præneste contenderunt. Quam urbem cum ab Lucretio Offella corona circumdatam inveniſſent; utilius rati, Syllam ipsum aggredi, atque ita demum Lucretium ejus Legatum, quo auxilium Dictatori ferret, ab Prænestina obsidione certo avertendum existimantes; contra ipsum Syllam eis occurſantem direxere aciem. Tantoque magis ad rem strenue

ge-

gerendam ſeſe invicem animabant, quanto inevitabilius, manus conſerere cum hoſtibus, eſſe, proſpiciebant. Triplici enim repente exercitu ſeſe circumdatos atque interceptos viderunt. Lucretii Offellæ circa Prænesſte, a lateribus; Pompeii a tergo ſubſequentis; ac Syllæ, via Prænestina ab Urbe ſibi occurrentis omnium validiſſimo. Itaque Teleſinus cum ſociis, noctu repente motis caſtris, infeſto agmine, ferociſſimiſque animis, Romam petiit. utque bellicæ rei erat ſcientiſſimus, in proximo fuit, ut Urbem caperet, cuſtodiis tunc ac præſidiis parum munitam. Ingredi tamen auſus non eſt portas. verum ſtadiis decem ab mœnibus, & Collina porta, metatus eſt caſtra. audacior jam ſucceſſu, quod tot illuſtres duces ac veteranos milites fefelliſſet, qui ſibi iter illud nullatenus præpedierant; ſpeique plenus reportandæ victoriæ, capiendæque Urbis. Prima intendente ſe luce ita exultantem Teleſinum aggreſſi ex optimatibus juniores plurimi adeo non repulerunt, ut ipſe contra eorum agmen partim cæderet, partim in fugam converteret. quos inter, Appius Claudius vir clariſſimus memoratur. Ingens ob hæc Romæ trepidatio coorta, diſcurſioque ac luctus miſerabilis, non aliter ac capta jam Urbe, fuiſſet. Verum Balbus a Sylla præmiſſus cum ſeptingentis equitibus, ut primum pro mœnibus viſus eſt, trepidantium animos nonnihil reſtituit; mox Sylla cum exercitu ſuperveniens plurimum confirmavit. Qui tamen, dum feſſos milites curſu, cura-

re

re tantiſper corpora prohibet; poſthabitiſque Dolabellæ ac Torquati conſiliis, ferox nimium atque inconſulto aggreditur hoſtes, in ultimum ferme diſcrimen ſeque ſuoſque contraxit. Siquidem inclinato jam die, circa decimam horam ſigna collata. neque acrior aut ferocior eâ unquam pugna ulla fuit. Sullanorum dextrum cornu, Craſſo duce, impetum hoſtium fortiter ſuſtinebat; at ſiniſtrum cedere jam manifeſto. Cui Sylla ſuccurrere volens, albo velociſſimo invectus equo, huc atque illuc diſcurrens, pugnam ſuorum reſtituere conabatur. Quare Teleſinus ipſum jam certo ictu petens circumvenit; duoſque ſuorum, qui Syllam haſtis conficerent, audaciſſimos ſummiſit. Quod, cum Dictator minime animadvertiſſet; geminato ictu petitus eſt, adeo cominus, ut haſtarum acies equi, quo invehebatur, caudam attingerent. Syllamque ipſum penitus confeciſſent, niſi opportune armiger ejus equum fuſte percuſſum, ſaltu, ſe ac ſeſſorem ab præſentiſſimo interitu eripere compuliſſet. Precatum etiam Syllam, ait Plutarchus, fuiſſe Apollinem, cujus aureum ſigillum in pectore geſtabat, ut ſe ab imminenti ea clade ſurriperet. Ceterum ad multam noctem protracta pugna infelix non minus Lucanis & Samnitibus, quam Romanis fuit. quamvis enim Teleſinus demum cedere, ac fuga ſe ad Artennam uſque oppidum, haud ita procul Prænefte, recipere coactus fuerit; Sylla tamen amicorum ſuorum ac neceſſariorum multos amiſit. plurimi quoque, qui

qui ex Urbe ad prælium ſpectandum venerant, eodem interfecti ſunt. Cumque nocturnis terror tenebris augeretur; parum abfuit, quin Urbs, quæ pro capta ſe deploraverat, revera ob idipſum caperetur; Mariuſque obſidione liberaretur. Sullanorum enim permulti diſperſi ad Lucretium Offellam in caſtra fugientes nunciabant, Syllam jam interfectum, Romam ab hoſtibus captam; ſolvendam proinde Prænestinam obſidionem, patriæque captæ ſubveniendum. Lucretius, tamen, certiora expectans, in veſtigio manſit. Donec illuceſcente jam die, Sullanorum victoria patuit. Samnitum ac Lucanorum reliquum Sylla, falſis pollicitationibus deceptos, inſidiis excepit; ſexque hominum millia Romæ, prope Curiam reducta, dum ipſe in Æde Bellonæ Patribus verba faceret, immiſſis exercitibus, miſerabiliter fruſtra exclamantia, crudeliter trucidavit. corpora in Tiberim projecit. Noviſſimoque hoc metu jam liberatus, æquitatis atque humanitatis fræna omnia penitus abjecit; cuncta ſanguine & cæde, & proſcriptionibus complens. Interea Marius Conſul extrema quælibet longiſſimæ atque arctiſſimæ obſidionis mala patiebatur. quorum immenſum pondus ultra tolerare non valens, cum audaciſſima ſuorum deſperatorum manu ſemel Prænestinis e mœnibus egredi, atque impetum in hoſtem facere auſus eſt. Lucretioque diſſimulante, ac ſuos paullulum retrahente, Marius occaſionem ratus, propugnaculum, lato in campo, ante Præne-

neſtinos muros, munire cœpit; quo Lucretium longius arceret, ac demum obſidionem ſolvere cogeret. Opere tamen vix non completo, cum omnia incaſſum tentaſſet, neque hoſtem a propoſito ullatenus dimovere potuiſſet; exercitum rurſus intra mœnia, omiſſo propugnaculo, revocavit. At victor Sylla cum Marcium & Carinnam Marianos duces cepiſſet, capitibus plecti juſſit, quæ ad Lucretium Offellam Legatum ſuum in caſtra continuo miſit, ut haſtis præfixa in Prænestinorum conſpectum extolleret. Quo ducum ſuæ factionis aſpectu miſerabiliſſimo Prænestini adeo animis cecidere, ut deditionem confeſtim cogitaverint. Præcipue, cum undique ſuorum, Marianorum ſcilicet, clades nuntiarentur; nihilque jam reſiduum ſpei factum eſſe, plane cognoſcerent. Quare Lucretio Offellæ Syllæ Legato portas, ac mœnia, ſe ipſos denique tradiderunt. Marius, cum id præſenſiſſet, ne in Sullæ, hoſtis ſui infenſiſſimi atque teterrimi, manus vivus veniret; furoris & immanitatis ejus ludibrium futurus; cum occultos prius per cuniculos exitum fruſtra tentaſſet; ipſe ſibi manus conſcivit. Ejus mortis modum ex antiquis Scriptoribus nonnulli peculiariter tradiderunt. quorum ſingulorum verba recitaſſe hic, operæ pretium fuerit. Itaque Breviator Livii 3. Florus hæc habet: *C. autem Marius Prænesteobſeſſus a Lucretio Offella Syllanarum partium viro, cum per cuniculum ceptaret evadere, ſeptus ab exercitu, mortem ſibi conſcivit in ipſo cuniculo; cum ſentiret, ſe evade-* 3. *Lib.* 87.

re minime posse, cum Pontio Telesino fugæ comite, stricto utrimque gladio concurrit. quem cum occidisset; saucius impetravit a servo ut se occideret. Quibus 4. consona Diodorus in Latinum a me versus sic protulit: *Marius autem pugna adversus Syllam generose cum dimicasset, legitime victus Prænestе confugit cum exercitu hominum quinque millium. Conclusus vero intra eam urbem, & tempus non modicum obsessus, ad angustias redactus est, omnibus illum derelinquentibns. cumque nullam salutis viam dispexisset, unius e fidelibus servis manum in dolorum omnium solutionem accivit. qui persuasus ab illo, & uno ictu dominum vita cum absolvisset, se ipsum quoque insuper immolavit.* Auctor Libri de Viris 5. Illustribus, qui Sextus Aurelius Victor perhibetur, ad Urbis Conditæ Annum IↃCLXI. *C. Marius*, inquit, *filius Prænestе refugit. Ubi per Lucretium Offellam obsessus, tentata per cuniculum fuga, cum omnia septa intelligeret, jugulandum se Pontio Telesino præbuit. Cajo Mario Prænestе interfecto, Cornelius Sylla se Felicem edicto appellavit.* Valerius Maximus, servi 6. Marium dominum e Syllæ manibus eripientis pietatem commendans, idem sic memoravit: *Consulem autem C. Marium Prænestinæ obsidionis miserabilem exitum sortitum, cuniculi latebra frustra evadere conatum, levique vulnere a Telesino, cum quo commori destinaverat, perstrictum, servus suus, ut Syllanæ crudelitatis expertem faceret, gladio trajectum interemit; cum magna præmia proposita videret, si eum victoribus tradidisset. Cujus dexteræ tam opportunum ministerium nihil eorum*

4. *Lib.* 37.

5. *Cap.* 68.

6. *L.* 6. *c.* 8.

pie-

pietati cedit, a quibus ſalus dominorum protecta eſt: quia eo tempore Mario non vita, ſed mors in beneficio repoſita erat. Ita Valerius. Quibus ex veterum teſtimoniis habemus, Teleſinum Samnitum ex ducibus unum, Syllæ manus evaſiſſe, atque ad Marium Præneſte confugere potuiſſe. Quo pariter, tamquam ad arcem munitiſſimam, perfugiumque unicum, ſeſe contulerant, quotquot Marianæ factionis reſidui erant: Legati, Quæſtores, Præfecti, Tribunique: quos omnes Sylla, capta urbe, juſſit interfici. Pecuniarum quoque vis incredibilis, atque auri præſertim, etiam infecti, tredecim millia pondo intra Præneſte per Marium Marianoſque fuerant congregata. Itaque in hæc omnia crudeliſſime & rapaciſſime Sylla victor invaſit. Dedita enim Præneſte Lucretio Syllæ Legato; primum omnium hic cum de Mario quæſiſſet, eumque jam mortuum videns, caput ejus amputari, & ad Syllam deferri juſſit. Qui illud aſpiciens exclamaſſe dicitur, *remum te prius Reipublicæ, quam clavum tractaſſe, Mari, oportuit*; nimiam Marii in gerendo Conſulatu in viridi ætate celeritatem vituperans; utpote qui, non per gradus minorum Magiſtratuum, ut par erat, ſupremam ad illam in Republica dignitatem aſcendiſſet; ſed ferme ex prætextato adoleſcente in eam involaſſet. Suſpenſum ac præfixum haſtæ Marii Caput Romæ in foro diu proſtitit. Lucretius Præneſte in Marianos omnes ſæviit. partim enim, licet deditos, interfecit; partim in cuſtodias detruſos, vinctos de-

tinuit. quos denique Sylla mox pariter omnes ad unum interfecit. Neque tamen in eos qui pro Mario in se arma sumserant, sic animadvertisse contentus, ipse Prænestе venit, Prænestinosque omnes miserabilissima clade affecit. Cum enim quotquot intra ea mœnia puberes erant, in campo coram se apparere atque recensеri jussisset; in tres multitudinem omnem turmas divisit; Romanorum primam, Prænestinorum alteram, tertiam Samnitum. & Romanis quidem, acri primum oratione increpatis, ultimoque interminato supplicio, pepercit nihilominus. Prænestinos atque Samnites opulentiores quosdam, eorum bonis sibi donandis inhians, reservavit: ceteros sagittis interfici cunctos præcepit; mulieribus ac liberis, ante pubertatem, extra patriam expulsis. Quorum, fama est, plerosque Tibur, in vicinam & amicam urbem, eamdemque alendis maxime idoneam, concessisse. Hæc Appianus. At Plutarchus [7] addidit, Syllam, Prænesten, post eam Legato suo deditam, cum venisset, primum e Prænestinis singulos, quos maxime sibi infensos fuisse credebat, interfecisse. deinde, quasi non vacaret, singularia jam tot judicia exercere; congregatos omnes una die ad duodecim millia hominum, de medio, per exercitum suum, inermes atque concluſos, sustulisse. In quo, dum Victoris intemperantissima violentia ferveſceret, Prænestini cujusdam extremus in patriam amor inclaruit. Hic enim cum propter hospitium, domi suæ, Syl-

7. *In Sylla & L. de Republ.*

læ

læ præſtitum, univerſali ſuorum ſtragi ab furente victore, ob beneficium ſibi collatum, unus eximeretur; incredibili robore animi, vivere, patriæ exciſæ ſuperſtes recuſavit; neque ſe commiſſurum unquam, reſpondit intrepide, ut Deſolatori patriæ ſuæ ſibi chariſſimæ vitam debere ſe, fateri aliquando cogeretur. Quare, cum ſuorum reliquo vulgo ſe immiſcuiſſet, incognitus cum ceteris interfectus eſt. Non diſſimulandum tamen a Valerio Maximo minorem multo Prænestinorum a Sylla inermium, per proditionem interfectorum, numerum recenſeri. Valerii verba: *Lucius* 8. *Sylla quinque millia Prænestinorum, ſpe ſalutis per P. Cethegum data, extra mœnia Municipii evocatos, cum abjectis armis humi corpora proſtraviſſent, interficienda, protinuſque per agros diſpergenda curavit*. Porro tot millium cæſorum ſanguine rubentia adhuc ſaxa erui Prænestinis quibuſdam perſuaſum fuiſſe, tradit Pighius in ſuo Hercule Prodicio. quam tamen opinionem ipſe falſam putavit, addens in agro Prænestino, quemadmodum in vicinis Albano & Tuſculano, ſaxa paſſim naturali colore rubeſcere ſubobſcure. Ceterum Sylla Prænestinam urbem tunc temporis opulentiſſimam, ut ait Appianus, militibus diripiendam permiſit. Quorum poſt ditiſſimam prædam, ingens tamen ea auri argentique copia, Duci in triumphum ducenda, eſt reſervata, quam Plinius memoravit. Cujus hæc verba: 9. *Certe cum a Galliis capta Urbe, pax emeretur, non plus, quam mille pondo (auri) effici potuere*.

8. *Lib.* 9. *c.* 2.

9. *L.* 3. *c.* 1.

Er-

Ergo, ut maxime, duo tantum millia pondo, cum capta eſt Roma, anno CCCLXIV. *fuere; cum jam capitum liberorum* CLV. *millia quingenti* LXXX. *In eadem poſt annos* CCCVII. *quod ex Capitolinæ ædis incendio, ceteriſque delubris omnibus Marius filius Præneste detulit, tredecim millia pondo, quæ ſub eo titulo in triumpho tranſtulit Sylla, & argenti* VII. *millia. Idem ex reliqua omni victoria pridie tranſtulerat auri pondo* XV. *millia, argenti pondo centum &* XV. *millia.* Celeberrima hæc Prænestinorum clades fuit; eamque Scriptores plurimi defleverunt. præcipue cum Sylla, neque tot millium diffuſo ſanguine exſaturatus, urbem ipſam ſub haſta, quaſi unum prædium, vendere non dubitaverit. Itaque Lucanus:

10. *Lib. 2. poſt init.*

Jam quot apud ſacri cecidere cadavera portum? 10.
Aut Collina tulit ſtratas quot porta catervas?
Tunc cum pene Caput Mundi rerumque Poteſtas
Mutavit translata locum, Romanaque Samnis
Ultra Caudinas ſperavit vulnera furcas.

Et poſt plures verſus, de Prænestinorum excidio ſic.

quid perdere fructum
Juvit, & ut vilem Marii confundere vultum?
Ut ſcelus hoc Sullæ, cædeſque oſtenſa placeret,
Agnoſcendus erat. vidit Fortuna Colonos
Prænestina ſuos, uno ſimul enſe reciſos,
Unius populum pereuntem tempore mortis.
Tunc flos Heſperiæ, Latii jam ſola juventus
Concidit, & miſeræ maculavit Ovilia Romæ.

Florus autem, dum Sullani furoris monumenta recen-

cenſet, ad 11. Prænestinos ſpectantia, hæc habet: *Apud Sacriportum, Collinamque portam debellatæ omnes hoſtium copiæ. Ibi Marius, hic Teleſinus oppreſſi. Nec idem tamen cædium, qui belli, finis fuit. Stricti enim & in pace gladii; animadverſumque in eos, qui ſe ſponte dediderant. Minus eſt, quod apud Sacriportum & apud Collinam portam ſeptuaginta amplius millia Sylla concidit. bellum erat. Quatuor millia deditorum inermium civium in Villa Publica interfici juſſit. Iſti tot in pace, non plures ſunt.* Et, quibuſdam interjectis, perſequitur ſic narrationem. *Piget poſt hæc referre, ludibrio habita fata Carbonis, fata Sorani Prætoris, atque Venuleii: Bæbium ſine ferro, ritu ferarum, inter manus laniatum: Marium ducis ipſius fratrem apud Catuli ſepulcrum, oculis, manibus, cruribuſque defoſſis, ſervatum aliquandiu, ut per ſingula membra moreretur. Poſitis ſingulorum hominum fere pœnis, Municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſta venierunt Spoletium, Interamnium, Præneste, Fluentia.* Quibus conſona protulit Divus Auguſtinus: 12. *In cæde atque proſcriptione Sullana ſubhaſtatæ ſunt etiam, tanquam villæ quædam, nobiles Civitates. una vero, velut unus reus duci juberetur, ſic tota juſſa eſt trucidari.* At Seneca, 13. *Ingratus*, inquit, *Sylla, qui patriam durioribus remediis, quam pericula erant, ſanavit. Qui cum a Prænestina arce, uſque ad Collinam portam per ſanguinem humanum inceſſiſſet; alia edidit in Urbe prælia, alias cædes. Legiones duas, quod crudele eſt, poſt victoriam in angulum congeſtas contrucidavit; & proſcriptionem commentus eſt.* Denique

11. *L. 3. c. 21.*

12. *L. 2. De Civit. c. 28.*

13. *L. 5. de Benef. c. 16.*

que Strabo alias etiam clades, quas ante Marianam calamitatem, & poſt illam, Prænesſte urbs paſſa
14. L. 5. eſt, reſpiciens, in ejuſdem deſcriptione ſic inquit: 14. *Accedit ad naturalem hanc munitionem, quod undique urbs eſt cuniculis occultis perforata. quorum alii aquæ ducendæ, alii clandeſtinis exitibus inſerviunt. in quorum uno obſeſſus Marius junior interiit. Enimvero, ut aliis urbibus in parte felicitatis copia rerum ponitur; ita, contra, Prænestinis ſua opulentia calamitoſa fuit, ob Romanorum ſeditiones. nam qui res novas moliebantur, eo confugiebant. quibus expugnatis, nova alia damna urbi injungebantnr, tum ager adimebatur; culpâ a ſontibus in innoxios translatâ.*

Quamquam autem tot cladibus tamque miſerabili exitu exciſa Prænesſte fuerit; inulta nihilominus ejus ſtrages diu minime manſit. Siquidem Lucretius ille, qui tam pertinaci obſidione Prænestina cinxerat mœnia, qui Prænestinos concluſos fœdiſſima fame vexaverat; ſponte deditos Syllæ prodiderat; & quaſi in expugnatos crudeliter animadverterat; dignum tam præclare factorum præmium ab
15. *Plutarch. in Sylla.* ipſo Sylla mox retulit. Cum enim, ob has 15. res geſtas, Conſulatum a Sylla peteret, prohibitus eſt primo. Deinde, cum in forum veniſſet, fautoribus multis ſtipatus; eumdemque Magiſtratum petere perſeveraret; ab Sylla ſedente pro tribunali ad templum Caſtoris, immiſſo Centurione interfectus eſt. cumque tumultus ob eam cædem, Lucretii amicorum exortus eſſet; multique Centurionem interfecto-

ctorem quasi latronem & sicarium comprehendissent, & ad Syllam duxissent, ut in eum juberet pro scelere animadverti; dimitti eum liberum, Sylla continuo jussit; juste Lucretium ab eo, Dictatore se imperante, occisum pronuncians. Ipse vero, quamvis extincto Juniore Mario, & Præneste capta excisaque, cineribusque senioris Marii de sepulcro erui, & in Anienem spargi jussis, *Felicem* tum denique se edicto appellaverit; pœnas tamen, licet seras, Prænestinis, tandem aliquando dedit. Qui enim homines, quasi pulices & pediculos, ita turmatim nulloque discrimine interfecerat; a pediculis, jam Dictatura deposita, privatusque omnino, ita divexatus, corrosus, ac vulneratus est undique; ut demum ab eorum viliſſimo putidiſſimoque exercitu dilaniatus interierit. Rem Plutarchus diserte narrat. Cum turpissimo illi vitio, quod crimen pessimum Sacræ Litteræ appellant, diu Sylla præter cetera, indulsisset; occultum exinde, ut fit passim, contraxit morbum, quo intestina ejus tabe purulenta corrupta sunt. quem, principio, utpote non cognitum, cum non curasset; ebulliit repente ex ea corruptione tanta pediculorum vis ac multitudo, ut quamvis interdiu noctuque incredibilis eorum copia interficeretur; major tamen eorumdem de novo semper enasceretur. Quare vestes omnes, balnea, lecti, & cibus ipse, quo vescebatur, fœdissimis hisce vermibus scatebant omnia. Neque ulla unquam industria, arte, cura, vel medicamine adhibitis, eam

peſtem potuit comprimere; cum carnes ipſæ ſuæ ac membra, tamquam fontes & radices, id malum effunderent ac germinarent. Donec irarum plenum ac furoris, atque ad ultimam deſperationem adactum, præque exclamandi defatigatione & violentia diſrupta e vena tabem ſimul ac ſanguinem evomentem, ille idem, innumerabilis pene, pediculorum exercitus novis ſemper legionibus ſuccenturiatus, confecit; mortuumque licet, corrodere tamen ac vulnerare, quod ille tot hominibus fecerat, perſeverarunt. Hæc Syllæ illius Felicis infeliciſſima finis. Hæc Prænestinorum effuſi ſanguinis ultio. Finem animæ, quæ res humanas tot cædibus miſcuerat olim, non gladii non tela dedere, non ſaxa nec ignes; ſed illi Prænestinorum vindices, & tanti ſanguinis ultores vermiculi. Tunc periit, poſtquam vermiculorum exercitum expugnare non valuit. hoc nocuit Mariana cæde madenti. Ceterum, cum Syllano ſæviente furore, Municipium, idemque ſplendidiſſimum, Prænestе fuiſſe, de Floro dicerimus; moxque Coloniam eamdem urbem a Cicerone nominatam legamus; eam Coloniam ab ipſo Sylla deductam ſuorum veteranorum, cum aliis ante nos Scriptoribus, merito conjectamur. Prænestе certe Fortunæ templum Sylla inſtauravit, ac exornavit, Plinio teſte. Quæ tamen infra opportunius pluribus veſtigabimus.

Porro bis adhuc urbs Prænestina ab Romanorum ſeditionibus periclitata eſt, ut funditus deſtrue-

ſtrueretur; niſi bonorum, in tempore, illi præſidium adfuiſſet. Catilina enim cum ſuis peſtem ac fatum Reipublicæ moliente, Prænesſte a Conjuratis tanquam belli arx deſtinata fuerat, invitatis utique ab munitiſſimi, quo arx eadem conſtituta eſt, loci natura. Verum vigil Conſul Cicero detectas machinationes eluſit; Prænestinamque urbem Conſulari ipſe præſidio præmunivit. quod idem, in Catilinam declamans, his verbis teſtatus eſt. *Quid? cum te Prænesſte, Kalendis ipſis Novembribus, occupaturum nocturno impetu eſſe confideres; ſenſiſti ne, illam Coloniam meo juſſu, meis præſidiis, cuſtodiis, vigiliſque eſſe munitam?* Rurſus autem Marci Antonii Triumviri adverſus Collegam Octavium Cæſarem civili fervente bello; uxor Antonii Fulvia belli ſedem Prænesſte cepit, Vellejo auctore, ſic ajente: *Fulvia uxor Marci Antonii, & ſocrus Octavii Cæſaris, qui tamen ejus cum filia divortium fecit, Prænesſte occupata, & ad ſuam ſocietatem pertracta, Senatores & Equites a ſe ſtantes habebat; cum illis inibat conſilia, & edicta proponebat identidem, contra Octavium cum Lucio Antonio conjurans.* Cum tamen ad virum confugere coacta fuiſſet nova hæc Amazon, atque audaciſſima femina, quæ & gladium geſtare, & teſſeram militibus dare, Dionis teſtimonio, conſueta fuerat; ejus hortatu Lucius Antonius Triumviri frater bellum intulit Cæſari, receptis in ſuas partes populis, quorum agri veteranis aſſignati fuerant. Ipſamque Prænestinam urbem rurſus belli ſedem elegit; Cæſarem pro magi-

ſtratu ſatellitibus munitum Romæ timere ſe dicens. Romam enim ab Octavio, ut ſe purgaret apud Senatum & Populum, vocabatur. Cumque Lucius ſex intra Prænesſte legiones haberet, undecim vero Marci fratris per Italiæ urbes diſpoſitas, & Octavius plures pariter undique ſibi congregaſſet; prælium atrox jamjam imminebat. Duces, tamen, utriuſque exercitus in eam convenere ſententiam, ut Lucius Antonius & Octavius invicem in urbe Gabiorum, media fere Romam inter atque Prænesſte, ſimul cum primoribus utriuſque factionis viris congregarentur. In cujus etiam foro ſuggeſtus duos, Romanorum more Roſtrorum; ornaverunt; ex quibus pro ſua quiſque ad milites cauſſa orarent. Verum, dum alter alterius inſidias metuit, & ab Octavii militum præmiſſa manu iter exploratur; quidam Lucii milites occiduntur; hic nullo jam pacto, ut ſeſe Cæſari vel armatus crederet, & Gabios veniret, adduci potuit. Quin potius, congregatis undique terra marique validiſſimis copiis, & pluribus ex Octavii fautoribus ſollicitatis, & ad ſuas partes illectis atque traductis; magnum terrorem ipſi adverſario Octavio incuſſit. qui tamen, diſſimulato metu, ad Senatum orationem habuit; qua ejus Ordinis auctoritatem implorabat, ut, ipſa ſequeſtra, conditiones pacis & amicitiæ inter ſe ac Lucium proponerentur. Miſit, itaque, Senatus ad Lucium legatos Prænesſte, qui de ſtabilienda inter utrumque concordia agerent. At Lucius, armis fidens

fidens & multitudini, propoſitas omnes conditiones reſpuit; & Legatos, re infecta, Romam remiſit. Cum tamen ab Octavianis multipliciter circumveniretur, pluribus Romæ ac per Italiam reliquam geſtis rebus proſpere, Peruſiam tandem devenit; ubi, ab Peruſina illa celebri fame domitus, ab Octavio tandem devictus eſt. Quibus auditis, Prænestini, qui diu in Antonii fide permanſerant, ad Octavium denique defecere. Unde Cicero de illis, & L. Antonio. 16. *Jacent*, inquit, *beneficia Nuculæ; friget patronus Antonius*. Quod dictum, cum de agro Prænestino egimus, ſatis jam illuſtravimus. 16. *Philip.* 6.

Nerone quoque Imperatore, per id tempus, quo is crudeliſſime Urbem incendit, ab ingenti Gladiatorum numero, qui Prænestæ in Ergaſtulis, ſeu Gymnaſio ac Gladiatorio Ludo detinebantur, periclitata eſt hæc urbs, ſeditionibus eorum denuo ſubverti. Rem ſic 17. brevibus Tacitus: *C. Lecanio Baſſo & M. Licinio Craſſo Coſſ. Gladiatores apud oppidum Prænestinum, tentata eruptione, præſidio militis, qui cuſtos adeſſet, coerciti ſunt. Jam Spartacum & vetera mala rumoribus ferente populo, ut eſt novarum rerum cupiens paviduſque*. Ceterum tot tantiſque cladibus edocti Prænestini, ſubſecutis exinde aliis civilibus Romæ ſeditionibus, non modo alterutram factionum partem intra urbis ſuæ muros recipere conſtanter recuſaverunt; ſed etiam, ſi vi cogerentur, factioſos admittere, ipſi cives, ne communi rurſus ſtrage involverentur, patriam relinquere, volun- 17. *L.* 15.

ta-

tarioque exilio ſedes alias ſibi quærere non dubitarunt. Incerti exilii vagæque fugæ incommoda, quælibet minora cenſentes, quam, certi exitii ſui, patriæque ſimul, atrociſſimam expectationem.

CAPUT VI.

De Fortunæ Prænestinæ celeberrimo templo ac ſortibus.

Quod Prænestinam urbem, tot ceteroquin nominibus celebrem, celeberrimam nihilominus maxime omnium effecit, Fortunæ Templum fuiſſe, compertum eſt. Cujus tanta celebritas olim fuit, ut Scriptores antiqui complures, ſine Fortunæ templi mentione, Prænesten non nominaverint; indeque decus hujus urbis omne quaſi unice proveniret, ſatis habuere Fortunam Prænesten cultam ſignificaſſe. Itaque Strabo: [1] Πραίνεστος δ' ἐστὶν ὅπου τὸ τῆς τύχης ἱερὸν ἐπίσημον χρηστηριάζον. *Prænesten autem eſt, ubi illud Fortunæ Templum inſigne oracula, ſive ſortes fundens.* Ovidius, de ſexto anni menſe Junio, quaſi Junonio, ipſi Junoni ſacro, tum Romæ, tum in præcipuis aliis Veteris Latii urbibus, locutus, ex ipſius Junonis perſona:

1. *Lib.* 5.

[2] *Sextus Junonis menſis fuit. aſpice Tibur,*
Et Prænestinæ mœnia ſacra Deæ.

2. *Faſt. l.* 6.

Quamquam enim Prænesten alii quoque dii æque, mo-

more Latinorum, colerentur; nomine tamen *Deæ Prænestinæ*, cui sacra dicuntur Prænestes mœnia, Fortunam intelligi, certissimum est. Hinc Silius in recensendo delectu militum a Romanis undique contra Annibalem habito, cecinit: 3.

3. L. 8.

sacrisque dicatum
Fortunæ Prænestе jugis.

Quod, proprie Fortunæ ædes antiquissima in Prænestini montis jugis fuerit. quamvis totus deinde mons ipse, ad radices usque, in ornatum templi, variis excitatis molibus atque ædificiis, concesserit; ut infra narrabimus. Idem Silius Marii & Caspri Prænestinorum militum nobile in pugna Cannensi lethum describens, Fortunam Prænestе cultam, & a Prænestinis, ab usque infantia, votis invocatam, non dissimulavit 4.

4. L. 9.

Sternitur unanimo Marius succurrere Caspro
Conatus.

& mox: *sacra juvenes Prænestе creati.*
Denique:

Occubuere simul: votisque ex omnibus unum
Id Fortuna dedit, junctam inter prælia mortem.

Ubi id quoque obiter notandum est, alteri ex his Prænestinis militibus Silium fecisse nomen *Mario*, ob junioris Marii Prænestе insignem interitum. Quemadmodum & Varro Librum Loghistoricum De Prænestinis agentem, inscripserat: 5. *Marius, De Fortuna*. Lucanus Prænestinos *Fortunæ Colonos* appellavit, ob præcipuum & antiquissimum in hac Co-

5. *Macrob. Saturnal. l. 3. c. 4.*

Colonia Fortunæ cultum. Ita enim de ſtrage Præneſtinorum ab Sylla facta: 6.

6. L. 2. v. 194. & ſeqq.

Vidit Fortuna Colonos
Præneſtina ſuos uno ſimul enſe reciſos,
Unius populum pereuntem tempore mortis.

Juvenalis, denique, de Centronio inſanis ſubſtructionibus & molibus villas Tibure ac Præneſte ædificante, Fortunæ inſigne templum nominaſſe, non omiſit. 7.

7. Sat. 14.

Ædificator erat Centronius, & modo curvo
Littore Cajetæ, ſumma nunc Tiburis arce,
Nunc Præneſtinis in montibus alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem;
Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra Poſides.

Ut vero de Fortunæ templo Præneſte condito, eodemque celeberrimo certiſſime conſtat; ita de ejuſdem Conditore, deque ætate, qua conditum id primo fuerit, res eſt incerta. L. Cornelium Syllam aliqui, male tamen, Præneſtini Fortunæ templi Conditorem exiſtimarunt; adeoque, Syllæ id æquale fuiſſe, meminerunt. In errorem hos Plinii 8. locus induxit, ubi ſic legimus: *Lithoſtrota quidem cæptavere jam ſub Sylla, parvulis certe cruſtis. extat hodieque, quod in Fortunæ delubro Præneſte fecit.* In hanc deinde ſententiam & ſuas ipſi conjecturas adjungunt: ſcilicet, Syllam templum Fortunæ Præneſte condidiſſe; quod, ea expugnata urbe, Marioque juniore ibidem ſublato, ipſe rerum, abſque æmulo,

8. Lib. 36. c. 25.

lo, tunc denique fuerit potitus. Cumque Fortunæ id totum ſibi faventi tribueret; inde ſe *Felicem*, nempe *Fortunatum* appellaſſe. At, nec locus Plinii, neque hæ conjecturæ, Syllam primum templi Fortunæ Prænestinæ Conditorem fuiſſe, evincunt. Plinius enim tantummodo de pavimento, cruſtis inſtrato ab Sylla, in delubro Fortunæ Prænestinæ, mentionem facit: de ipſo delubro condito ne verbum quidem. quod non omiſſiſſet; cum magnificentius multo ac memoria dignius fuiſſet, templum magnificentiſſimum, quale Fortunæ Prænestinæ fuit, quam pavimentum, licet pretioſum, excitaſſe. Ceterum, Syllam Fortunæ Prænestinæ templum olim jam conditum, reſtituiſſe, bellorum injuriis multipliciter deformatum, & pretioſiſſimis ornamentis, non pavimento tantum nobiliſſimo, exornaſſe, idque ob victoriam de Mario Prænesте relatam præſtitiſſe, non dubitamus. Ac forte in eam magnificentiam, cujus adhuc non obſcura apparent veſtigia, templum id, ita uti totam præſentem urbem, vaſtiſſimis ornatibus, ac ædificiis, occupaverit, non alius quam Lucius Sylla perduxit. Prænestinis enim antiquis neque is mos templa ædificandi, neque ea vis aut opulentia, tantas ſubſtructiones & moles erigendi, immenſis plane ſumtibus, omnino fuit. De Romanis autem Sylla poſterioribus, quod Prænestinæ Fortunæ templum ædificiis ampliaverint, apud veteres probatos auctores nulla eſt mentio. Vetuſtius tamen Prænestinæ Fortunæ

templum ipſo Sylla fuiſſe, certiſſimum eſt, & conſtat clariſſime, inquit Suareſius. Qui tamen, hoc aſſeveraſſe contentus, nulla hujuſce clariſſimæ majoris antiquitatis teſtimonia protulit. Huic itaque nos ſententiæ ſubſcribentes, teſtimonia illam confirmantia, quæ ipſe omiſit, in medium adducemus. Et ab imbecillioribus quidem incertioribuſque incipiendo; Lucanus & Silius id ſignificaſſe videntur. Lucanus enim dicit, Fortunam ſuos Colonos vidiſſe uno ſimul enſe reciſos, & pereuntes Syllano gladio, poſt Marii necem. Si ergo jam Fortuna de ſuo Præneſtino templo Præneſtinos *colonos ſuos*, cultui ſcilicet Fortunæ deditos, ab Sylla interfici vidit, poſt mortem Marii; profecto id templum, antequam Sylla victor evaderet, ſeu verius, antequam hoſtes omnes debellaſſet, fuerat ædificatum. Non itaque ædificatum fuit primo a Sylla ipſo, qui tantum, debellatis omnibus, & quietis jam temporibus, illud ædificaſſe a ſuis auctoribus perhibetur. Silius autem, dum Fortunæ Præneſtinæ meminit ab Mario & Caſpro Præneſte invocatæ, cum pueri eſſent; eoſque milites poſtea Cannenſi prælio occumbentes ſimul inducit; jam templum Fortunæ Præneſte fuiſſe ante ipſum ſecundum Punicum bellum, adeoque multo ante Lucium Syllam, ſatis oſtendit. His Ovidius adjungi poſſit. qui de Junonio menſe apud Præneſtinæ deæ mœnia ſacra, tanquam de re antiquiſſima, Priſcorumque Latinorum, ante ipſam Romam Conditam, loqui videtur. Infirma tamen, atque

atque incerta hæc, pro antiquitate Prænestini Fortunæ templi de Poetis desumta argumenta, esse, non inficiabor. Quis enim ignorat, Poetas, tamquam de antiquissimis rebus, locutos de iis, quæ sibi ipsis suppares tantum erant; ut æqualium suorum auribus inservirent. qui suam ætatem, suæque mores ætatis proprios, tamquam originis antiquissimæ repræsentari sibi, summopere gaudebant. Firmiora igitur, & certiora pro Prænestinæ Fortunæ templi antiquitate, Syllæ tempora vincente, testimonia proferemus.

Porro luculentissimum & gravissimum omnium testimonium est M. Tullii Ciceronis in libris De Divinatione 9., in quo etiam Prænestinæ Fortunæ Sortes quæ fuerint, earumque vetustissima origo, narratur. Ait itaque Tullius: *Videamus clarissimarum Sortium, quæ tradatur inventio. Numerium Suffucium Prænestinorum monumenta declarant honestum hominem, & nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minantibus, cum juberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis, irridentibus civibus suis, id agere cœpisse. Itaque, perfracto saxo, Sortes erupisse in robore insculptas priscarum literarum notis. Is est hodie locus septus religiose propter Jovis pueri, qui lactens cum Junone in gremio Fortunæ sedens mammam appetens castissime colitur a matribus. Eodem tempore, eo loco, ubi nunc Fortunæ sita ædes est, mel ex olea fluxisse dicunt; haruspicesque dixisse, summa nobilitate illas Sortes futuras: eorumque jussu ex illa olea arcam esse factam, eâque* 9. L. 2.

conditas Sortes, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in his potest esse certi? quæ Fortunæ monitu, pueri manu miscentur, atque educuntur? Quomodo autem istæ positæ in illo loco? Quis robur illud cæcidit, dolavit, inscripsit? Nihil est, inquiunt, quod Deus efficere non possit. Utinam sapientes stoicos effecisset, ne omnia superstitiosa sollicitudine & miseria crederent. Sed hoc quidem genus Divinationis vita jam communis explosit. Fani pulchritudo & vetustas Prænestinarum etiam nunc Sortium retinet nomen, atque id in vulgus. Quis enim Magistratus, aut quis vir illustrior utitur Sortibus? Ceteris vero in locis Sortes plane refrixerunt. Quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum; nusquam se Fortunatiorem quam Prænestæ vidisse Fortunam. Jam ex insigni adeo Tullii testimonio de Prænestinæ Fortunæ templo, aliis modo prætermissis, quæ infra singillatim observabimus, id in præsens notandum, Fortunæ templum Prænestæ, Carneadis ætate jam extitisse. At Carneades hic, de quo Cicero, multo superior ætate fuit, quam Lucius Sylla. Constat igitur, ante Syllam, templum Fortunæ Prænestinæ fuisse excitatum; ac proinde ab Sylla primum non fuisse conditum. Porro Carneades Philosophus cum Diogene & Critolao Orator pro Athenienſibus Romam venit V. C. IↃLXXXXV. Pub. Cornelio Scipione Nasica Marc. Claudio Marcello Coss. ante Syllæ secundum Consulatum annis septuaginta quinque. siquidem Sylla Consul fuit secundum cum Q. Cæcilio Metello Pio V. C. IↃCLXX. juxta Fa-

sto-

ſtorum Conſularium Caroli Sigonii recenſionem. De Carneade autem plurima Cicero in Philoſophicis, Gellius, Plinius, Valerius Maximus, Ælianus, Plutarchus, aliique. Attamen ipſo Carneade antiquius adhuc multo Prænestinæ Fortunæ templum fuiſſe, de L. Poſthumii Albini facto adverſus Prænestinos, quod jam narravimus, conſtat. Hic namque ante ſuum Conſulatum, qui V. C. IↃLXXVII. fuit, Prænestæ ad ſacrificandum Fortunæ privatus veniſſe dicitur. Rurſum, ante id tempus, Manitium Prætorem Prænestinorum, quod e præſidio Caſilini fortiter tutato tandem cum ſuis evaſiſſet, Fortunæ tria Signa dedicaſſe Prænestæ cum titulis & voto, apud Livium legimus. Cum autem id anno celeberrimæ Cannenſis pugnæ factum fuerit, quæ V. C. IↃXXXIV. Varrone & Paullo Coſs. contigit: hinc, ante hoc quoque tempus Prænestinæ Fortunæ templum fuiſſe celebratum, liquet. At de Valerio Maximo antiquiora adhuc docemur. qui id templum ante Punicum primum bellum habitum a Romanis, nedum extitiſſe, verum & celebratum propter ſuas Sortes fuiſſe, narratione ſequenti ſignificavit: *Luctatius, qui primum* 10. *Punicum bellum confecit, a Senatu prohibitus eſt Sortes Fortunæ Prænestinæ adire: auſpiciis enim patriis, non alienigenis Rempublicam adminiſtrare oportere, judicabant*. Notatur autem C. Luctatius Catulus a Sigonio Conſul cum Aulo Poſthumio V. C. IↃVIII. ſcilicet ante Carneadis Romam adventum annis octoginta ſeptem; ante Syl-

10. *L.* 1. *c.* 4. *De Auſpiciis.*

læ

læ vero Conſulatum ſecundum centum ſexaginta duobus.

Ego vero Prænestinæ Fortunæ templum ipſa Roma Condita antiquius fuiſſe, non inanibus conjecturis adductus exiſtimaverim. Ac primo quidem inquit Tullius, quod vetuſtas templi Prænestinas Sortes adhuc ſua ætate apud populum in pretio & cultu ſervabat. Quod ſummam profecto vetuſtatem ſignificare videtur, eamque quam *ab immemorabili* dicimus, cujuſque primam originem omnes ignorent. Nam talis demum antiquitas, tamquam aliquid divinum & æternum, veneration nem ſibi in vulgus conciliare conſuevit. Adde his, quod Tullius, De Divinatione, quæ per Sortes habetur, locuturus, tanquam omnium omnino, quæ ſub cœlo fuerint uſquam, Sortium antiquiſſimarum, Prænestinarum originem enarravit. eamque de ipſis antiquiſſimis Prænestinorum libris ac vetuſtiſſimis monumentis ſe eruiſſe, profeſſus eſt. Certe Fortunæ cultus Romæ etiam fuit, plurimaque templa in Urbe habuit Fortuna variis nominibus appellata. Quæ inter, Templum fuit Fortunæ Primigeniæ in Colle Quirinali, quod Q. Marcius Philippus Ralla dedicaſſe, Bello Macedonico, traditur. quamvis & a Servio Tullio Romanorum rege ſexto id, quod Fortunæ Servili, quia ex ſerva natus fuerat rex, dedicatum plurimi perhibent, Fortunæ Primigeniæ ſacratum aliqui memoraverint. Porro *Primigeniæ* nomen peculiare fuit Fortunæ Prænestinæ,

næ, ut ex quamplurimis lapidum inſcriptorum extantibus adhuc teſtimoniis clariſſime conſtat. Cumque Prænestinas Sortes Romani, ut ex Valerio memoravimus, alienigena, non patria auſpicia appellarent; atque idcirco Luctatium Conſulem Bellum Punicum primum confecturum illas adire prohibuerint; Primigeniæ Fortunæ cultum a Prænestinis eos accepiſſe, non dubitaverim. Ceterum Tullius idem, dum, locum, quo Sortes primum inventæ fuerant, ſeptum, ait, & conſecratum, ob Fortunæ cultum, in cujus gremio Juppiter puer mammam appetens cum Junone a matribus, Prænestæ, caſtiſſime colebatur; vetuſtiſſima plane tempora ſignificat, quibus hujuſmodi fabulas appinxit Antiquitas. Eodemque pacto Prænestæ inventarum locus Sortium religioſus, ſeptus, & conſecratus erat Primigeniæ Fortunæ, quo, Lavinii, locus prodigialis illius albæ ſcrofæ, cujus adhuc cadaver in ſalſura oſtendebatur, Varrone teſte; & Romæ, Caſa Romuli, & Ficus Ruminalis, ſub qua lupa geminis Romæ auctoribus mammam dediſſe perhibebatur, ſepto incluſa, conſecrata fuerant. Ipſum quoque nomen *Primigeniæ* antiquiſſimum Fortunæ Prænestæ cultum fuiſſe ſignificat. Eſt enim *Primigenius*, ſi vocabuli vim introſpexeris, *qui aliunde non habet originem*. & *Primigenia ſemina* ea dicuntur, quæ a natura ipſa ſunt inſita; quæ Cicero *prima naturæ*. & Græci τὰ πρῶτα φύσεως appellant. In his numerant incolumitatem, conſervationemque omnium partium,

tium, valetudinem, ſenſus integros, doloris vacuitatem, vires, pulcritudinem, ac cetera hujuſmodi. Fortuna itaque Primigenia, quaſi a *primum gignendo* dicta eſt; quod antiquiſſimi Latii Populi, qui Prænestinos Montes primi incoluerunt, a Fortuna, numine omnium antiquiſſimo & primo, reliqua naturæ bona primo genita, exiſtimaverint. immo & ipſa cetera numina; cum Jovem ipſum, quo majus nil generari, aut cui ſimile aut ſecundum vigere, quemque mare & terras variiſque mundum horis temperare dicebant, tamen puerum mammam in gremio Fortunæ Primigeniæ Prænestinæ, cum ſorore Junone, appetere, tanquam a Matre, fingebant. Quid quod, & nomen priſcum Prænestinæ urbis antiquitatem cultus Fortunæ ibidem præſtiti ſignificavit? *Stephane* hæc urbs primum, teſte Plinio, vel *Polyſtephanos*, Strabone teſte, appellata eſt. ſcilicet *Corona*, vel *Plurium Coronarum Civitas*. Atqui hoc vocabulum, (quamvis alias alii origines ejus protulerint, quas ſuo loco ſingulas recenſuimus) omnium tamen optime de Coronarum frequentia, quibus Fortuna Prænestina coronari conſueverat, derivatur; quarum etiam mentionem infra in recenſendis votivis lapidibus perſpicue factam inveniemus. Antiquiſſimus, igitur, Prænestæ Fortunæ cultus fuit. ac proinde Fortunæ Prænestinæ antiquiſſimum templum. Quamquam, non ea ſtatim ab initio magnificentia & pulchritudine, qua ſub Cæſaribus deinde fuit. verum,

pro

pro ſæculorum ſimplicitate, rude primum, mox ornatius, denique magnificentiſſimum & ornatiſſimum; de quo merito dici potuerit: *Fictilibus crevere deis hæc aurea templa*. A Lucio Sylla id auctum & exornatum quammaxime, in eamque amplitudinem perfectum, cujus adhuc clariſſima extant veſtigia, crediderim. quamvis enim Plinius de lithoſtroto tantum ſive pavimento variis lapidibus varias figuras mire repræſentantibus inſtrato, quod Sylla in delubro Fortunæ Prænesſte fecerit, mentionem habeat; ceteras tamen ædificii partes ab eodem reſtitutas, auctas, ampliatas, ornatas areis ac piſcinis, ceteriſque molibus, ob victoriam adverſus Marium Prænesſte relatam, veriſimillimum eſt. At Plinius lithoſtrota ſingulariter commemoravit, ob operis novitatem. ſiquidem *ceptavere*, inquit, *ſub Sylla*, ab eo, puto, advecto in Italiam more ex Aſiæ urbibus, unde cum victore exercitu venerat. Certe Cicero de Prænesſtinæ Fortunæ Fani pulcritudine ſingulariter meminit; pulcritudini & vetuſtati ejus, Sortium Prænesſtinarum apud vulgus venerationis perſeverantiam tribuens. Ceterum ex iis, quæ adhuc ſuperſunt, veſtigiis, multoque magis centum ab hinc annis conſpicua magis extabant, eruditiſſimus ac nobiliſſimus vir Princeps Angelus Cæſius Sancti Angeli oppidi dominus, Athanaſius Kircherus noſter, & Suareſius, antiqui Prænesſtinæ Fortunæ templi a Sylla reſtituti ſtructuram eruere poſſe ſibi viſi ſunt. Quorum ex adverſariis & com-

mentariis, additoque oculorum quoque noſtrorum, quibus locum præſentes luſtravimus, diligenterque conſideravimus, teſtimonio, ita ferme deſcribi poteſt. Templum, ſeu templa potius, (pluribus enim diſtinctis, quamvis aptiſſimo ordine ſibi reſpondentibus, ædificiis conſtabat) templa, itaque, ſtupendæ ſane molis, totum ferme hodiernæ Prænestinæ urbis ſpatium occupaverunt. ſiquidem in ipſo montis aſcenſu areis duodecim, totidemque ad eas ducentibus ſcalis appoſitis, in ſublime erigebantur in arearum ſingulis hinc atque hinc ornatus aliqui, vel piſcinæ, vel fontes, vel lacuſculi, vel cavædia, vel Porticus, vel Baſilicæ, vel Sacella, vel denique aliud quidpiam ædificii, conſtructa erant; muris omnia ab imo adſcenſu ſupremum ad uſque cingentibus. In ſummo medioque ædificio Ædes ipſa Fortunæ in theatri ſpeciem ſemicirculari figura erigebatur. Quæ hodieque, in Ædibus Barberinorum Prænestinorum Principum, figura cernitur. Sub Ædem Pharus conſpicuo loco, ubi faces, noctu præcipue, accenſæ, quæ Prænestinæ Fortunæ navigantes in adverſo Tyrrheno monerent, ad eam invocandam. quandoquidem dominam illam æquoris, teſtimonio Horatii, putabant. Phari adhuc veſtigia, fumo & fuligine nigerrimos vetuſtiſsimos parietes nobis oſtendi, vidimus.

Itaque in ſummo templo ſive ſublimiori templi parte Cortina fuit, ſive Ædes proprie Fortunæ, ubi ſtatua ipſius ſeu ſignum, quod Suareſius ita deſcri-

ſcripſit. veſtitum, ſcilicet, plicatili ſeu rugata veſte, multis ſinibus, ſeu laciniis, plexa, e cinereo lapide, qui attritus manibus odorem emittit ſulphuris, medio ferme in templo ſitum, oraculis nobile. Quod tamen ſimulacrum Fortunæ Princeps, quodque Fortuna Primigenia ſeu Primogenia Prænestina dicebatur, e lapide fuerit, minus hoc conſentaneum Plinio videtur. Ex quo id ſimulacrum ligneum potius, craſſiſſimis aureis bracteis fideliſſime inauratum fuiſſe, colligi videtur. Verba Plinii, 11. quæ ipſe etiam Suareſius recitavit: *Nec aliud* (auro) *laxius dilatatur, aut numeroſius dividitur: utpote cujus unciæ in ſeptuagenas & quinquagenas, pluresque bracteas, quaternum utroque digitorum ſpargantur. Craſſiſſimæ ex his* PRÆNESTINÆ *vocantur: etiamnum retinentes nomen, Fortunæ inaurato ibi fideliſſime ſimulacro*. Plura quidem Fortunæ in hoc templo, eaque variis figuris efficta, variaque materia conflata, ſimulacra, ex voto, ab Fortunæ cultoribus dedicata fuiſſe, ſcimus. Ceterum princeps ſignum, antiquiſsimum, quodque Fortuna Primigenia dicebatur, cui templum a primis Conditoribus extructum fuerat, ligneum craſsiſsimis aureis bracteis veſtitum, ex Plinio conſtare videtur. Fuitque, forte, ex olea illa priſcis ſæculis elaboratum, ex qua mel prodigialiter fluxerat: ex qua pariter, arca ad Sortes ſervandas, Tullio teſte, conſtructa fuit. In hujus ſimulacri Fortunæ gremio Juppiter puer ſedens erat cum Junone ſimul lactens & mammam

11. L. 33. c. 3.

appetens, qui a matribus caſtiſſime colebatur, eodem Tullio teſte. Hoc ſignum oracula fudiſſe dicitur a Strabone: quæ, vel per eductas ſeu jactas Sortes edebantur, vel etiam a Fatidico Vate, uno ex Fortunæ ſacerdotibus, vel a Sortilego, vel certe aliter; quemadmodum de 12. Fortuna Antiati & Antiatinis Sortibus agentes, fuſe narravimus. Quæ repetere hic, aliis oraculis communia, cum plurima hujuſce templi peculiaria complecti vix poſſimus, omnino non vacat.

12. *Vet. Lat. l. 4. c. 3.*

Jam vero Prænestinarum Sortium originem ipſam quoque minute admodum deſcripſit Cicero, cujus jam teſtimonium recitavimus. Hæc tamen ex illo nobis hic colligenda. Clariſſimas inprimis & antiquiſſimas omnium, quotquot ubique forent, Prænestinas has Sortes extitiſſe: ligni roborei fruſta fuiſſe, dolata ac polita, veterum characterum notis diſtincta, forte quatuor aut etiam octo ex faciebus, quales teſſeræ ſunt, quas *dadi* dicimus. Duas eaſdem primo apparuiſſe, innuere videntur auctores illi, qui Sortes Prænestinas Sorores nominaverunt: ut Statius in Tiburtino Manlii Vopiſci celebrando, cum dixit:

Quod ni templa darent alias Tyrinthia Sortes
Et Prænestinæ poterant migrare Sorores.

Quod tamen aliqui ad ſimulacra duo Fortunæ, quæ Prænestæ fuerint, Bonam & Malam repræſentantia, referendum, putant. Sed nullus, quod quidem ego ſciam, vetuſtus lapis Duarum Fortunarum Præ-

Præneste meminit, quemadmodum Antiatum plura monumenta meminere: Prænestinas Sortes, subsequentibus sæculis, auctas numero, & Virgilii versibus pronunciari consueviſſe, id, quod Lampridius refert in Alexandro, innuere videtur. Huic nempe consulenti Prænestinas Sortes tale oraculum redditum, cum illi Heliogabalus insidiaretur

Si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Obscuriſſima semper ac maxime dubia Sortium responsa fuiſſe scimus; ad illudendum, scilicet, semper credulos ac superstitioſos; & oraculi, quidquid tandem eveniſſet, servandam semper auctoritatem. Exempli causſa sunto: LAETUS LUBENS PETITO QUOD DABITUR GAUDEBIS SEMPER: & alibi NUNC MEROGITAS NUNC CONSULIS TEMPUS HABUIT JAM. Vel denique ea responsa, quæ in tabellis æneis Romæ inventa, hic in tabula ex Suaresio desumta subjicimus. Quare Propertius, 13. Cynthiam ab hujusmodi inanibus captandis responsis absterrens, ait: 13. *L. 2. Eleg.* 32.

Nam quid Prænestis dubias, o Cynthia, Sortes,
Quid petis Æaei mænia Telegoni?

Quamquam autem, sua ætate, testetur Cicero, sortium captandarum usum jam desiiſſe, & tantum apud vulgus Prænestinas adhuc fuiſſe in pretio, ob Fani pulchritudinem & vetustatem; ante ipsum tamen a summis ipsis viris & Magistratibus consuli consueverant. Et post Ciceronem ipsi Cæsares omnia Fortunæ tribuentes, omniaque extimescentes, & præ-

& præcavere cupientes, Prænestinas Sortes adiere frequentes. Quarum usum & venerationem tunc aucta, credo, quando prodigium illud sub Tiberio, quod narrat Svetonius, accidisse, 14. vulgatum fuit. *Vicina*, inquit, *urbi oracula disjicere conatus est: sed majestate Prænestinarum Sortium territus destitit; cum obsignatas devectasque Romam non reperisset, nisi relatas rursus ad templum*. In quo quis astutissimas Fortunæ sacerdotum, sua lucra perdere maxime dolentium, fraudes non statim animo volvat? Unde & Domitianus Prænestinam Fortunam singulis annis consulere consuevit. De quo Svetonius pariter: 15. *Domitiano Cæsari Prænestina Fortuna toto imperii spatio annum novum commendanti lætam eamdemque semper Sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit, nec sine sanguinis mentione*. Atque ita deinceps alii Cæsares, longa serie, idem factitarunt. Donec Christiana luce jam coruscante, præstigiæ tenebrionum omnino depulsæ sunt, atque extinctæ. Semper, nihilominus, apud cordatos viros hæc oracula, & sortium, & fatidicorum vatum, & sortilegorum, & hariolorum, & Chaldeorum responsa deridiculo habita sunt. unde elegantissimi super futilibus hisce præsagiis sunt Ennii versus apud Ciceronem. Cum enim dixisset Cicero, *non habeo denique nauci Marsum augurem*, mox subdit ex Ennio. 16.

14. *C. 63. in Tiber.*

15. *C. 15. in Domit.*

16. *L. 1. De Divin. in fin.*

Non vicanos haruspices, non de Circo astrologos,
Non Isiacos conjectores, non interpretes somniûm:
Non enim sunt ii aut scientia aut arte divini,

Sed

Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam petunt:
De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddant cetera.

Ceterum Fortunæ Prænestinæ templum ditissimum fuit, atque ornatissimum, muneribus, donariis, & tabellis votivis; quæ illi, qui acceptum aliquid Fortunæ tribuebant, (tribuebant autem plurimi plurima, quin aliqui etiam omnia) voti rei, eodem afferebant, & collocabant. Signa, præsertim, Fortunam referentia non uno habitu; quorum imagines plures ex Suaresio desumtas huc inserendas curavimus. Coronas etiam aureas, argenteas, æneas, e pretioso lapide, ex floribus, aliasque. At omnium maxime votivas tabellas, præsertim lapideas, in quibus, acceptis pro beneficiis, munera, quæ quisque Fortunæ obtulisset, descripta erant. Harum plurimæ Prænestæ adhuc supersunt dispersæ per urbem. quamquam earum multæ in Ædibus Principum congregatæ; aliæ etiam alio translatæ fuerunt. Plures ab Suaresio recensitas & mutuatas hic apponimus, mantissam aliarum, quas industriâ nostrâ ipsi collegimus, adjecturi.

Ac primo quidem Dedicatio Fortunæ facta ab Cæsio Taurino, in T. Cæsii Primi parentis sui memoriam, recensenda est. quamvis enim, ævo, postrema fortasse omnium, quas hic afferemus, fuerit; utpote quam Suaresius Valentiniani ac Gratiani

ni Cæſarum tempora non excedere, exiſtimaverit; dignitate, nihilominus, elegantia, & celebritate, alias anteit, pluribuſque memoratur. Legitur Præneſte in baſi marmorea, quæ olim ſtatuæ T. Cæſii Primi ſuppoſita fuit. in ea inſculpti modii duo, ſpicarum pleni. utroque latere columellæ pariter ſpicis coronatæ. In area hi verſus.

I.

TU . QUAE . TARPEIO . COLERIS . VICINA . TONANTI
VOTORUM VINDEX SEMPER FORTUNA MEORUM
ACCIPE QUAE PIETAS DONAT TIBI DONA MERENTI
EFFIGIEM NOSTRI CONSERVATURA PARENTIS.
CUJUS NE TACEAT MEMORANDUM LITERA NOMEN
CAESIUS HIC IDEMQUE TITUS PRIMUSQUE VOCATUR
QUI LARGAE CERERIS MESSES FRUCTUSQUE RENATOS
DIGERIT IN PRECIUM CUI CONSTAT FAMA FIDESQUE
* *Alii* illos ET QUI DIVITIAS VINCIT PUDOR IRE PER ALTOS *
CONSUETUS PORTUS CURA STUDIOQUE LABORIS
LITTORA QUI PRAESTANT FESSIS TUTISSIMA NAUTIS
NOTUS IN URBE SACRA NOTUS QUOQUE FINIBUS ILLIS
QUOS UMBER SULCARE SOLET QUOS TUSCUS ARATOR
* *Suar.* Quintius * OMNIBUS HIC ANNIS VOTORUM MORE SUORUM
CENTENAS ADICIT NUMERO CRESCENTE CORONAS
FORTUNAE SIMULACRA COLENS ET APOLLINIS ARAS
* *Alii* Aegerium ARCANUMQUE * IOVEM QUORUM CONSENTIT IN ILLO
MAIESTAS LONGAE PROMITTENS TEMPORA VITAE
ACCIPE POSTERITAS QUOD POST TUA SAECULA NARRES
TAURINUS CARI IUSSUS PIETATE PARENTIS
HOC POSUIT DONUM QUOD NEC SENTENTIA MORTIS
VINCERE NEC POTERIT FATORUM SUMMA POTESTAS
SED POPULI SALVO SEMPER RUMORE MANEBIT

Hunc lapidem aliqui, neſcientes Præneſte ſitum olim, atque adeo nunc quoque ibidem extare, de Fortunæ templo Romæ in Capitolio ſito, prope templum Jovis Tonantis interpretati ſunt. Cum au-

Tabula I.

Ex Museo Ill^mi D. Abbatis Cassiani de Puteo

PRÆNESTINARVM SORTIVM ORACVLA ET FIGVRA

QVR PETIS · POSTEMPVS · CONSILI
QVOD ROCAS · NON · EST CVM

DE · VERO FALSA · NE · FIANT
IVDICE FALSO

CONRIGI VIX TANDEM · QVOD T̄
CVRVM · EST FACTVM REDET̄

IVBEO EI · ET · IS · SI FECERIT
GAVDEBIT SEMPER

FORTVNARVM PRÆNESTINARVM IMAGINES VARIÆ

FORTVNARVM PRÆNESTINARVM IMAGINES VARIÆ





Scholae Prænestinae ad Templum Fortunae Nummus.

tamen Prænestinæ Fortunæ facta sit Dedicatio, eaque *Tonanti Tarpeio* dicatur *vicina*, quod in gremio ejus, ex Cicerone, Juppiter puer, lactens coleretur. Qui etiam in lapide *Arcanus*, vel, ut alii legunt, *Aegerius* nominatur. Spiceas, hasce Coronas Fortunæ donatas a Frumentario Cæsio fuisse verisimillimum est. Nunc alias Dedicationes proferamus.

II.

FORTVNAE . PRIMIGENIAE
MARCIVS TELESPHORVS
VOTVM . SOLVIT

III.

PIETATI
FORTVNAE . PRIMIGENIAE
VOTIS . SVSCEPTIS
SALVIS . AVGVSTIS
M. AVRELIO . ANTONINO . ET
L. AELIO . AVRELIO
FORTVNATVS . VERNA
DISP. EORVM
AVRELIA RESTITVTA . LIB
L. D. D. D. D. L

Disp. interpretor *Dispensator*; ultimas vero literas *Locus Datus Decurionum Decreto Dicando Lapidi*. Ceterum eruditiores viderint.

IV.

L. DOMITIO
AGATHEMER
PARIDI
LIB. AVGVST. VI
CAESARIS
ARGENTAR
COACTORI

L. DOMITIVS
EPICTETVS
ET CVRTIA
EVPHRANTIS
FORTVNAE
PRIMIGENIAE
D. D
L. D. D. D

V.

FORTVNAE
IOVIS PVERI
PRIMIGENIAE
D. D
EX SORTE COMPOS
FACTVS
NOTHVS RVFICANAE
L. F. PLOTILLAE

VI.

OPI DIVINAE ET FORTVNAE
PRIMOGENIAE SACR
IMP. CAESAR HELVII
PERTINACIS AVGVSTI
V. D. D
T. CAESIVS T. F. HERODES

VII.

VENERI ET
FORTVNAE PRIMIGENIAE
SACR
L. CALVIVS . L. F. FAL
VARIVS
AR. ET . CVPIDINES . II
D. D
L. D. D. D

VIII.

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
L. RVFINVS
AEDIL. CVRVL
V. S

VIIII.

FORTVN
PRIMIG
L. ARLENO
ADLECTO

X.

D. FORTVNAE PRIMIGENIAE
C. VALERIO C. F. MEN
DOLVTIO . MARTIANO
VIVIR. AVG. DEC
OMNIBVS
HONORIBVS
CVRIIS . MVNERIBVS
FVNCTO
VESTRIA
SATVRNINA
PATRI
L. D. D. D

XI.

FORTVNAE . PRIMIG
SIGNVM . AEQVI
TATIS . NIGRINIA
AVXESIS . CVM
FELICE . AVG. LIB. ET
SVIS D. D. D. D

XII.

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
TI. CLAVDIVS
THERMODON . ET
METIA . M. F
LOCHIAS . EIVS
SIMVLACRA DVO
SPEI
COROLETICA . D. D

Spem

Spem atque Opim numina Bonæ Fortunæ amica. Veteres existimabant. illa proinde cum Fortuna simul colebant *Sperantes* ut *Opem* ferret. Simulacra vero *Coroletica* signa sunt *Coronata*. siquidem *Corollæ* sunt parvæ Coronæ.

XIII.

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
Q. LOLLI APOLLOPHANES
PATER. ET. FILIVS. ET
ALIA. ARCHELAIS
VOTO SVSCEPTO L. S

Hoc est *Libentes solverunt* quod susceperant votum, quodque voto suscepto fuerant polliciti Lollii duo pater & filius cum Alia Archelaide.

XIV.

FORTVNAE. PRIMIGENIAE
SIGNVM. LIBERI. PATRIS
PANTHEI. CVM. SVIS. PARERGIS
ET CVPIDINES II. CVM. SVIS. LVCHNVCHIS
ET. LVCERNA. LARVM
M. POPILIVS. M. F. TROPHIMVS. CVM
POPILIA. CHRESTE. LIBERTA. ET. ATILIO. FILIO

Parerga interpretor ornatus circa statuam Bacchi, qui *Pantheos* hic dicitur, quasi *omnis deus*. Ac proinde ejus signum, cujus hic mentio, aliorum deorum insignia gestasse, crediderim; quæ etiam *parerga* merito dici potuerunt; cum præter opus primarium, statuam scilicet Bacchi, adjuncta forent. Cupidines autem cum Luchnuchis, lucernæ

videntur fuiſſe Cupidinum figuram referentes; quibus tamen parvi lychni, (hi enim luchnuchi ſunt) ad accendendum additi. Lucerna quoque Larum vel hos deos repræſentabat, vel certe iis dedicata fuerat. Hunc lapidem Prænesſte Romam advectum, Suareſius exiſtimavit. In hujus latere tempus Dedicationis fuit ſic inſcriptum

DEDICATVM IV. ID. AVG
IMP. COMMODO . II
ET AVRELIO . VER
II. COS

XV.

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
VOTO . SVSCEPTO
VALERIA
TRYPHOSA
L. D. D. D. D.

XVI.

FORTVNAE . SANCTAE
ATINIA TYRANNIS
SEMINARIA . A. PORTA
TRIVMPHALE
TERENTIVS . FORTVNATVS
VIR. CLARISSIMVS
CVI . GRATIAS . MAXIMAS
SEMPER . EGI
CVM
TERENTIA FAVSTINA
FILIA
DONVM DEDIT
L. D. D. D. D.

Duobus hiſce in lapidibus decimo quinto & ſexto littera D. quater geminata poſt L. ſignificare videtur

tur Locus Datus Decreto Decurionum, ita ut duplex D. *Decurionum* significet numero multitudinis; quamquam communiter per unam tantum litteram *D.* exprimi consueverit; vel *Locus Donario Datus Decurionum Decreto*. Porro lapis hic sextusdecimus Fortunam Prænestinam non quidem *Primigeniam* sed *sanctam* nominat; & ex Grutero, 17. extitisse illum, habemus, Prænestе ad sacellum, quod est prope Castellum aquarum. In eo Portæ Triumphalis fit mentio, quod in aliis ab Roma urbibus perrarum est. Quam vero Triumphalem Portam nominatam Prænestе dixerimus, nullis Veterum monumentis docemur. Ego illam Triumphalem aliquando a Prænestinis appellatam existimarem, per quam Romani duces e triumpho Romæ habito revertentes, & ex Monte Albano, quo ad immolandum taurum Jovi Latiali cum triumphali pompa perrexerant, eadem cum pompa etiam Prænestе aliqua ætate ad sacrificandum Fortunæ forrasse venire consuessent. Certe M. Claudio Marcello C. 18. Sulpicio Gallo Cos. sive anno V.C. IↃLXXXVII. Rex Bithyniæ Prusias Romam venit cum filio Nicomede, petiitque inter alia ab Senatu, ut votum sibi solvere Romæ in Capitolio decem majores hostias, & Prænestе unam Fortunæ, liceret: ea vota pro victoria Populi Romani de Perseo Rege Macedonum esse. decretumque a Senatu est, ut victimæ aliaque, quæ ad sacrificium essent opus, sive Romæ, sive Prænestе, de publico Regi darentur.

17. *P.* 130.

18. *Liv. lib.* 45.

XVII.

XVII.

FORTVNAE . SANCTAE
ATINIA . TVDANINA

XVIII.

C. APVLEIO . DIOCLI . AGITATORI
PRIMAE . FACTIONIS . RVSSATAE
NATIONE HISPANO
FORTVNAE . PRIMIGENIAE
D. D
C. APVLEIVS . NYMPHIDIANVS
ET . NYMPHIDIA . FILII

XIX.

L. ANTISTIVS
C. F. AEMIL. VETVS
AVGVR
FORTVNAE . PRIMIG
EX. VOTO. SVSCEPTO

XX.

FORTVNAE . PRIMIGENIAE
IOVI . PVERO
EX . TESTAMENTO
TREBONIAE
SYMPHERVSAE
ANNIVS . HERMA
HERES
L. D. D. D

XXI.

IOVI . O. M. ET
FORTVNAE . PRIMIG
V. S. A. L
L. PRIMIGENIVS
CVM
FIL. TORQVATO
D. D

Quem-

Quemadmodum a Felicitate Felices & a Fortuna Fortunati plures e Prænestinis Civibus nominabantur; ita Lucius hic a Primigenia Fortuna Primigenius appellatus est. Cui etiam & Jovi Optimo Maximo. V. S. A. L. hoc est, *votum solvit animo libenti.*

XXII.

L. VRVINIO L. L. PHILOMVSO
MAG. CONLIB. * LIBERT
PVBLICAE SEPVLTVRAE ET STATVAE
IN FORO LOCVS DATVS EST QVOD IN
TESTAMENTO SVO LAVATIONEM POPVLO
GRATIS PER TRIENNIVM GLADIATORVMQ
PARIA X. ET FORTVNAE PRIMIGENIAE CORONAM
AVREAM P. I. DARI IDEMQVE LVDOS EX
HS. CCIↃↃ. IↃↃ. PER DIES . V. FIERI . IVSSIT
PHILIPPVS L. MONVMENTVM . DE SVO . FECIT

*Forte CON LEG legendū fuit, pro CONLIB.

Inciſas has notas refert Suareſius in Arca lapidea oblonga palmos decem inventa Præneste in Joannis Petri Aloyſii hortis, Salutis A. MDCXLVI., atque a ſe inde exſcriptas teſtatur. Et in ædibus Petri Fantonii V. Cl. lapidem alium extantem, qui de ſacerdote Fortunæ Primigeniæ Sortilego memorabat, idem Suareſius ſic retulit:

XXIII.

SEX. MAESIO . SEX. F. ROM. CELSO . PRAEF
FABR. III. > LEG. IIII. MACED. QV. AED. II.
VIR. FLAMIN. DIVI . AVG. SORTILEGO
FORTVNAE PRIMIGENIAE
SEX. MAESIVS . ECHIO . LIB. FECIT . SIBI
ET . SEX. MAESIO . CELERI . FILIO . SVO . ET
MAESIAE PINOE . CONIVGI . ET SEX
MAESIO . POTHO . CONLIBERTO
POSTERISQVE . SVIS

Erat

Erat autem Sortilegus ſacerdos Fortunæ *a Sortibus*, qui illas, ex arca, pueri manu mixtas, atque ductas, legebat, ac publice pronuntiabat. De quo nos, 19. ubi de Sortibus Antiatinis, locuti ſumus. Profecto hujuſmodi ſacerdotium magno in pretio quondam apud Romanos fuiſſe, ex hoc lapide eruimus. Siquidem Sextus Mæſius tantus vir, quantus ex hic appoſitis titulis patet, eo Prænesſte fungebatur. Atque hi quidem inſcripti lapides, quos hactenus recenſuimus de Suareſii penu depromti ſunt. Loca, ubi ſua ætate aſſervabantur, plerumque idem auctor appoſuit; quæ tamen hic nos omiſimus, cum ea longinqua vetuſtas fere omnia mutaverit. Nunc alios, qui de Fortuna pariter memorant, aliunde collectos addemus. Itaque hunc refert Gruterus Tibure inventum, illo fortaſſe ex urbe Prænestina advectum, ſic habentem 20.

19. *Vet. Lat. Tom. 3. Lib. 4. c. 5.*

20. *Pag. 77.*

XXIV.

FORTVNAE . PRIMIGENIAE
SIGNVM . APOLLINIS . TVTELARIS
L. ELVIVS . FELIX . PATER . CVM . FILIO
ET . CLAVDIA . SABINA . MATER
V. S

Alium Sponius Prænesſte erutum ſic expoſuit: 21.

21. *F. 194.*

XXV.

FORTVNAE . PRIMIGE
NIAE . SACRVM . CVM
SIGN. CVPIDINIS
L. ANOCINVS . L. F
TROM. SORORI

CVS.

CVS. PATRON. COLON
LACTITI
ACILI VOTO SVSCEPTO
L. M

Et apud Ligorium in Adverſariis, ubi de Prænestinis Monumentis, eſt hic 22. 22. *v. Prenesse.*

XXVI.

FORTVNAE PRIMIGENIAE
SACRVM
C. APVLEIVS . DIOCLES. AGIT
FACTIONIS . RVSSATAE
NATIONE . HISPANVS . LVSITAN
AGITAVIT . IN . FACT
M. ACILIO . AVIOLA . ET . CORNELIO
PANSA COS. V. V
ITEM . VICIT . IN . FACTIONE . EADEM
SVB . ACILIO . GLABRIONE . C. BELLIO
TORQVATO . COSS. II. V. C
ITEM . AGITAVIT . IN . FACTIONE . PRAS
INA V. SOL. SVB. C. TORQVATO ASPRE
NATE . II. ET . AN. LIBONE . COS
ITEM . AGITAVIT . INTER . FACTIONEM RVSSAT.
P. PONTIANO . ET . ANTONIO
RVFINO . COS
EIDEM . VOV. L. M

Quamvis hunc lapidem a Ligorio confictum Critici nonnulli exiſtimaverint, additis Conſulum nominibus ex Faſtis vulgatis perperam; nos ab hujuſmodi figmentis Ligorium abſolventes, & immunem reputantes, attulimus non immerito. Itaque Cajus hic Apulejus Diocles Agitator, hoc eſt, Auriga Factionis Ruſſatæ in Quadrigarum Ludis, qui in Circo agitabantur, idem fuiſſe videtur, de

quo meminit lapis alter, a nobis hic recenſitus, noſtroque hoc ordine Decimusoctavus, ubi ſtatuam illi a Filiis poſitam in templo Fortunæ Prænestinæ, docemur, eidem Fortunæ Dedicatam. Ibi natione Hiſpanus dicitur; hic additur Luſitanus fuiſſe. Agitator dicitur hic Factionis Ruſſatæ, ibi Factionis Ruſſatæ Primæ. Unde, quamquam quatuor Agitatorum Primariæ Factiones eſſent; ſcilicet Albata, Ruſſata, Praſina ſeu Viridis, ac Veneta ſeu Cærulea; colligimus, tamen, haſce in plures Claſſes & gradus inter ſeſe fuiſſe diſtinctas. Victor autem ſemper Apulejus notatur & cum ſociis & ſolus, & cum adverſis Factionibus, & inter ſuæ ipſius Competitores. Quare Fortunæ Primigeniæ Donarium aliquod obtulit, ad quod hic inſcriptus lapis olim in ejus templo Prænestæ fuerat appoſitus. Ceterum, Ludos in area templi Fortunæ agitari ſæpius conſueviſſe, circa vel metas, vel ædem aliquam, probabile eſt. Quamquam & Circum, Prænestæ, fuiſſe, non dubitem. In alia Baſi profert Ligorius idem has notas a ſe Prænestæ relectas 23.

23. *v. Prænestæ.*

XXVII.

FORTVNAE . PRIMOGENIAE
SACRVM
SEX. TITIVS . SEX. F. PVP
MONTANVS
CAESIVS SABINVS
EQV. PVBLICVS
AEDIL PONTIFEX . FLA
MEN . TRAIANALIS
PATRONVS . MVNICIP

TRE-

TREBVL
PLEBS . VRBANA . S. P
D. D. D

Ex quo, poſt Trajanum in Divos jam relatum, Primogeniæ Fortunæ templum & cultum Prænesteæ celebratum, monemur. Siquidem Cæſius Sabinus inſcribitur Flamen Trajanalis, nempe Sacerdos Divi Trajani. Plebs autem Urbana Sua Pecunia Statuam Poſuit & Decurionum Decreto Dicavit Fortunæ Primigeniæ : & Sextus Titius Sexti Filius Montanus eTribu Pupinia cum Cæſio Sabino Equo Publico Donato, Ædile, Pontifice, Flamine Trajanale, Patrono Municipii Trebulani in Sabinis, miniſtri videntur fuiſſe Dedicationis. In alia rurſus Baſi Prænesteæ reperta apud eumdem Ligorium legebatur 24.

24. *Ibid.*

XXVIII.

FORTVNAE . PRIMIGENIAE
ET . OPI . DIVINAE
P. CETRAMIVS . L. F. STEL
VLPIANVS . MARCIAN
PRO . SAL. CETRAMIAE . P. FIL.
SEVERINAE . SACERDOTI
DIVAE . MARCIANAE . ET . PRO
SAL. TITI . BAEBI GEMELLIA
NI. PROC. CLIENT. AVGVST
CONIVGI . SANCTISS
SACRVM

Fortunæ pariter factam Dedicationem, exiſtimo, quam Prænesteæ repertam recenſuit 25. Fabrettus, in qua Opis Divinæ tantum eſt mentio, cum ſuperiore lapide Fortunam Primogeniam & Opim Di-

25. *Cap. 9. pag. 645. n. 386.*

vinam ſimul tanquam unum numen, vel duo certe amica, & conjuncta numina, legerimus. Quamquam in ipſo Prænestinæ Fortunæ templo ædiculam aut ſacellum Opi ſacrum peculiariter olim fuiſſe, inficiari non auſim. En Dedicationem

XXIX.

OPI DIVINAE
C. SEILIVS . C. F. QVIR
NIGERIVS
V. S. L. M

Et in ænea votiva Tabella

XXX.

FORTVNAE PRIMIG
M. ALLIVS M. F. ALLIENVS
PRAEFECTVS PRAET
D. D
SIGNA . DVO.

Item ad Antiſtitum Ædes fragmentum proſtans, quamquam nulla in eo Fortunæ mentio, ſacrum nihilominus fortaſſe Fortunæ fuit.

XXXI.

T. MANLIVS
QVINTVS
SACRVM

In quo illud ſingulare notandum, vocem *Quintus* cognominis loco ſitam eſſe, cum Prænomen tantum eſſe conſueverit.

Refoſſus quoque noviſſime lapis eſt Prænestе juxta Divo Agapito Prænestino principem ſacram Ædem cum litteris.

XXXII.

XXXII.

FORTVNAE
PRIMIG
M. VLPIVS . STRATO
EVTYLCHIA
MAXIMILLA
MAXIMVS
VOTO . COMPOTES[sic]
D ☙ D

Et lapis votivus Prænestinus alius a Grutero quoque relatus, & castigatius a Fabretto sic * * *Pag. 668. nu. 528.*

XXXIII.

SACRO
SVSCEPTO
SORTIBVS SVBLATIS
C. CALLIO
ATTICVS
MEDIOLANENS

Item Prænestе ex schedis Barberinis * * *Fabret. pag. 694. n. 154.*

XXXIV.

FORTVNAE . PRI
MIGENIAE . SAC
A . AVILIVS . EROS
MAG. NAVAL
VOTO . SVSCEPT
L. M
L. D. D. D

Votivis tabulis recensitis atque illustratis, quæ, in plurimarum ruina, ad nostram pervenerunt aetatem adhuc superstites; ad celeberrimum

tunæ Prænestinæ Delubri monumentum, miraculo ferme superstes, pavimentum dico, musivo opere compactum, recensendum traducimur. Multis id perraris dotibus insignitur. Primo enim ex antiquissimis hujusmodi Operibus, ac fortasse antiquissimum omnium, in Italia præsertim, constructum fuit; ajente Plinio, hoc genus pavimenta cœptasse sub Sylla, a quo Prænestinum in Delubro Fortunæ fuit excitatum. Rursum historiam idem variam ac multiplicem, totiusque fere naturæ seriem complectitur, ac repræsentat. Tantâque id figurarum atque operis universi elegantiâ, venustate, veri imitatione, ut nihil supra. Adde his longissimam per bis mille ferme annos durationem, quibus superius ad usque sæculum, quo ad sublimiorem situm magisque conservationi accomodum, translatum fuit, longissimam durationem, inquam, annorum fere bis mille in subterraneo loco & aquis assidue scatente, atque infecto; cum tamen & figurarum lineamenta, & colorum ipsorum, quibus lapilli distinguuntur, vigor ac vividitas, non minus ac si novissime compactum fuisset, perseveraverint. De illo ante nos multi; ac præcipue Athanasius Kircherus noster, & Josephus Maria Suaresius. nuperrimeque omnium Interpres exempli, quod nitidissime ac magnificentissime ab Francisco Barberino Juniore Cardinali amplissimo, Prænestinæ Urbis domino, æri incidi mandatum est. juxta quod a munificentissimo Mecœnate nobis dono missum, (quam-

quam

quam præſentes Prænesteab ejuſdem Principis liberaliſſima comitate excepti, diligenter autographon relegerimus, & minutatim inſpexerimus) noſtram hanc de ipſo pavimento lucubrationem conficiebamus. De hujus itaque Operis auctore, Plinii notiſſimum eſt teſtimonium: nempe L. Syllam Dictatorem, Felicem ſive Fortunatum, poſt relatam de juniore Mario, Prænesteæ victoriam, cum ſeſe edicto appellari juſſiſſet; pavimentum hujuſmodi in Prænestinæ Fortunæ Delubro, componi juſſiſſe. Plinii verba: 26. *Lithoſtrota quidem cœptavere ſub Sylla. parvulis certe cruſtis extat hodieque, quod in Fortunæ Delubro Prænesteæ fecit.* Quare cum Sylla de juniore Mario victor evaſerit V. C. DCLXXII. ante Chriſtum Natum LXXXII. Prænestini pavimenti ætas annorum ferme 27. MDCCCXVII. ſatis colligitur. Siquidem, poſt illam demum victoriam, Fortunæ templum, aliaque Prænesteæ Civilium bellorum injuriis atque incendiis vaſtata, ac fere diruta, reſtituit Sylla, atque exornavit. Locum, quem tam inſigni opere inſterni voluit Dictator, ſummæ profecto religionis apud ipſum, ceteroſque omnes Fortunæ Cultores, fuiſſe, merito exiſtimamus. Non enim omnia Prænestini Fortunæ templi ſola eodem inſtrata opere, crediderim; quamvis nullum, cruſtis teſſellato opere conjunctis, vario tamen genere, non fuerit intectum. Plurimas enim muſivi operis ſpecies & antiquitus, & per hæc tempora componi conſueviſſe, ſcimus; quarum pretioſiſſima & elegan-

26. *L.* 36. *c.* 25

27. *Scripta ſunt hæc Anno Chriſti* MDCCXXXV.

gantiſſima omnium, quæ hiſtoriam, cum animalium tum hominum figuris diſtinctam, exprimit. aliis enim vel faſciæ vel ſpiræ, vel flores ad ſummum & fructus foliaque arborum, repræſentantur. Noſtrum hoc pavimentum adhuc ſuperſtes, & *Partem* dicimus ſimul & *Totum*. Cum enim & alias temporis edacitate conſumptas partes in Prænestino Templo, eodem hoc genere muſivi operis inſtratas fuiſſe a Sylla, veſtigia ſparſim reperta, nos dubitare non ſinant; adhuc tamen locum vidimus ſeparatum, quem antiquitus pavimentum hoc ſuperſtes totum intexit, ad ſuperius uſque ſæculum, quando ad tutiora & ſublimiora translatum fuit. Eſt autem locus Prænestæ in ruinis veteris Fortunæ templi, juxta aream ſacræ Ædis principis Deo in honorem Divi Agapiti conſecratæ, ad ſiniſtrum latus, dexterum vero Antiſtitum Prænestinorum ædes ſeu cavædium intrantibus. Adiri tamen, quod ſubterraneus paullo ſit, ſine accenſæ facis auxilio nequit. cujus ope, mox ut intraveris, fornicatum apparet cubiculum, ferme quadratum, quod victimaria ara perpetuo ductu undique circumveſtitur. ad hujus ſiniſtrum intrantibus latus per anguſtum ac depreſſum oſtiolum locus latet, ubi olim lithoſtrotos, ſive muſivum, de quo agimus, opus inſtratum fuit. Quodque mirari ſatis non potui, obſcuriſſimum eſt cubiculum, nullum vel per rimulam admittens ſolem, depreſſum, anguſtum; quodque omnium peſſime, aquis continuo oppletum. Quamquam aquarum

ICHNOGRAPHIA TEMPLI FORTVNÆ PRÆNESTE.



ILLVSTRISSIMO·ET·EXCELLENTISSIMO·PRINCIPI
MAPHÆO·BARBERINO
PRINCIPI·PRÆNESTES·ERETI·ETC·

Hoc obsequij monimentum
DOMINICVS CASTELLVS·D·D·C·

SCIOGRAPHIA TEMPLI FORTVNÆ PRÆNESTE



ORTHOGRAPHIA TEMPLI FORTVNÆ PRÆNESTE

MAGNIFICÆ PRÆNESTINORVM PRINCIPVM ÆDES IN SVBSTRVCTIONIBVS ANTIQVI FORTVNÆ TEMPLI EXCITATÆ



rum illud incommodum, poſt ruinas tantum Præneſtinæ urbis toties repetitas ſuperveniſſe; pro certo habeam; aquæductibus diſturbatis, aquiſque quolibet impune diſperſis, atque ſtagnantibus. Quod cum intrarem gurguſtium admodum caute, Trophonii illud triſte antrum in mentem venit, ubi edebantur oracula: ſtatuique apud memetipſum Præneſtini Fortunæ templi hoc Cavum, locum ipſum fuiſſe olim Præneſtinarum Fortunæ Sortium inventarum, quod, Ciceronis teſtimonio, ſepto incluſum religioſiſſime ſervabatur; ibique Signum Fortunæ Jovem ac Junonem lactentes ſinu gerentis a matribus caſtiſſime cultum extitiſſe; de quo idem Tullius. Niſi enim hoc dixerimus; difficile cauſſam, propter quam obſcurum adeo locum, & anguſtum, nec illum quidem in medio templo, aut ſublimiori ejus in parte & nobiliori collocatum, tam pretioſo pavimenti genere veſtiri prudenter Sylla voluerit, edicere nobis fas erit. Si vero, certis deficientibus monumentis veterum ab Scriptorum auctoritate petitis, aures prudentibus conjecturis demus; loci potiſſimum genus ab Plinio deſignari, verbis ejus recte perpenſis, non inaniter fortaſſe dixerimus. Ait enim Plinius, Syllam hujuſmodi Lithoſtroton in Fortunæ Præneſtinæ *Delubro* feciſſe. Eſt autem Delubrum, ſi vocis vim introſpexeris, Varronis teſtimonio 28. *a Deo* dictum; locumque proprie ſignificat, in quo Dei ſimulacrum conſtitutum fuerit: ſicut locus, in quo candelam figunt, *candelabrum*

28. *Lib. 8. Rer. Div.*

appellatur. Neque altera apud Feſtum vocis hujus *Delubrum* interpretatio in rem noſtram non faciat, quæ Delubrum, ait, eſſe fuſtem delibratum, ſcilicet libro ſive cortice nudatum, decorticatum, quem ſuperſtitioſi Latini Veteres pro Deo, nempe ſimulacrum ejus ligneum, colebant. Fuerit itaque antrum hoc pretioſo adeo pavimento inſtratum a Sylla, locus ipſe, ubi Fortunæ illud ligneum ſimulacrum craſſiſſimis aureis bracteis undique illitum, quæ propterea *Prænestinæ* dictæ ſunt; de quo nos ex Plinio in ſuperioribus jam meminimus. Ceterum, quod difficile aditu foret tam vetuſtum atque inſigne Priſcæ Hiſtoriæ monumentum, aquiſque fere ſemper obrueretur, & limo corroderetur; conſultiſſime ad ſummam Prænestinæ hujuſce Fortunæ templi partem, quæ Barberinorum Principum ædibus includitur, translatum eſt. Idque feliciſſimo ſane & auſu & ſucceſſu. Adeo enim integrum ſuiſque totum partibus optime diſpoſitum e priſca ad novam ſedem fuit traſportatum, ut nullum translationis, quod tamen tot minutiſſimis lapillorum ſegmentis periculoſiſſimum fuit, nullum, inquam, translationis incommodum ſenſerit; commoda autem plurima: namque e ſitu, ac tenebris, ſquallentique & difficili ad adeundum ſede, in lucem, conſpectum, & publicum, traductum, artificis manu perpoliri, & nullo antiquitatis cum detrimento, perfici tamen, compleri, ac reparari, quod factum eſt ſcitiſſime, potuit. Quamquam autem pavimentum

tum iſtud in veteri ſua ſede, antequam transferretur, ipſe non viderim; exempla tamen ejus ibi adhuc perdurantis, ære primum, mox chartis, repræſentata vidi equidem; cumque illa cum pavimento ipſo novis jam in ſedibus collocato, ejuſque novis exemplis per æs chartis impreſſis, contulerim ſæpiſſime ac minutiſſime; nullam omnino inter utrumque factam mutationem deprehendi; artificumque noſtrorum ſummam excellentiam, antiquitatis certe æmulam, commendare ſatis non potui.

Jam vero pavimenti talis eſt ſpecies. Regionem vaſtiſſimam repræſentat; in ſuperioribus quidem partibus montanam; planam vero in inferioribus, quæ majus multo ſpatium occupant. In montanis montes ipſi, non tamen continui, ſed ſeparati ac diſperſi. circa hos volitant aves, quas ibices ſive ibides, merito & ciconias dixeris. ad harum aucupium variis locis intenti Mauri ſive Æthiopes venatores cernuntur, vix lineis ſuccincti ſubuculis, arcum & ſagittas intendentes. quamvis & cum ſerpentibus ad montium radices nidulantibus multum negocii ipſis ibicibus ſit. iiſdem in montibus, qui ſaxoſi tantum, informes, ac ſteriles, nudique exhibentur, varia ſunt monſtroſa quadrupedum genera, ad quorum aliquot pedes inciſæ Græcæ literæ, nomina eorumdem manifeſtant. Quas, quidam, Græcas eſſe non agnoſcentes, *peculiares* tantum literas eſſe, dixerunt. Monſtra inter ſeſe alicubi commiſſa apparent; ſæpius tamen hominum telis appetita.

Nomina hæc Græcis majoribus elementis deſcripta ΣΦΙΝΓΙΑ. ΚΡΟΚΟΤΑΣ. ΟΝΟΚΕΝΤΑΥΡΑ. ΥΑΒΟΥΣ. ΩΑΝΤΕΣ. ΞΙΟΙΤ. ΚΙΗΠΕΝ. ΑΠΡΟΣ. ΤΙΓΡΙΣ. ΕΝΗΥΔΡΙΣ. ΛΕΑΙΝΑ. ΛΙΝΞ. ΣΑΥΟΣ. ΡΙΝΟΣΕΡΟΣ. ΚΡΟΣΟΔΕΙΛΟΣ ΧΕΡΧΑΙΟΣ. ΚΡΟΣΟΔΕΙΛΟΣ ΠΑΡΔΑΛΙΣ. ΑΓΕΛΑΡΟΥ. ΧΟΙΡΟΠΟΤΑΜΟΥ. nempe Latinis literis vocem ipſam Græcam, Græcumque ſonum exprimentibus SPHINGIA. KROCOTAS. ONOCENTAVRA. YABVS. OANTES. XIOIT. KIIPEN. APROS. TIGRIS. ENIDRIS. LEAENA. LINX. SAYOS. RINOCEROS. KROCODILOS CHERCHAEOS. KROCODILOS PARDALIS. AGELARV. CHIROPOTAMV. Ex his autem quadrupedibus aliqua etiam in planicie repræſentantur, verum fere ſine nomine appoſito. Perfoſſi montes rotundis quibuſdam cavernis arte excavatis oſtenduntur, vel ad metallorum fodinas, marmorum, aliorumve lapidum, vel certe ſepulcrorum cauſſa. Ceterum montoſa hæc regio inculta omnino, & deſerta proponitur. Planicies vero latiſſime patens, culta atque habitata. quam cum aquis undique allutam videas, facillime Ægypti partem illam, quam Delta dixerunt, ob hujus Græcæ triangularis literæ Δ figuram, quam exhibet, a fœcundiſſimo ſuo Nilo, feraciſſimo illo limo pluvias copioſiſſime penſante, quibus caret, coopertam & inundatam cognoſcas. In hac aves in tectis partim atque arboribus inſidentes, in aquis partim natantes adſunt. in quibus, & hydri, ſive ſerpentes aquatici, & piſces, ac præcipue cancri, ranæ, teſtudines. apri quoque paludibus gaudentes, & amphibia,

bia, quæ vocant, animalia plura verſantur. in tectis, arboribus, atque aere volantes aves, ciconiæ fere, atque ibices eſſe videntur; quamquam alicubi in palmæ ſummitate pavo, vel ſimilis figuræ avis perpulchra incubans repræſentetur. in aquis vero anates ferme atque anſeres ludunt. ſed & domeſticæ quædam minores aviculæ, forte columbæ, circa rotundi ædificii foramina, nidos dixeris, frequentes, duplici depictæ ſunt loco. Ex arboribus unicum ferme genus campos identidem obumbrat. illud eſt palmarum. Ceterum neque vites neque ſegetes, neque aliarum pomiferarum vel frondoſarum arborum ſpecie regio diſtinguitur. Si unum unicum in ipſo ferme operis margine umbraculum exceperis, ſub quo veluti tentorio, cantui, potui, & luſibus, quidam genialibus in lectis, indulgentes effecti ſunt. hoc enim umbraculum vitis cum pampinis atque uvis aſcendere atque opacare videtur. Crebra quidem eſt herba cum flore, ut mihi quidem exiſtimatur, *lotos*. Ceterum tanta Nili alluvione coopertum ſolum undique fingitur, ut non modo ſcaphis ac lembulis & phaſellis, verum majoribus quoque navibus, atque ipſis triremibus ſuſtentandis par ſit. Novem ibi navigia numerantur. quorum quatuor lembuli ab unico nauta impulſi remo, ſeu potius pertica, aut conto. Ex his alius in extremo operis margine loti foliis ſeu floribus aut fructibus & ſeminibus veſcis onuſtus cernitur; alter a nauta loti ejuſdem inverſum florem capitis tegmen

gmen geſtante impulſus, ſimilis cum primo figuræ eſt ac magnitudinis,curvâ & acutâ prorâ, in avis roſtri modum;puppi vero latiori, quamvis & ipſa concava, atque aliquantum incurva. tertius non abſimilis, ab ſedente remige multa vi retro pelli ſimulatur. quartus denique cymbæ linique magiſtrum hamo fallentem placide piſces continet. Eſt & quintus lembus nobile quoddam prope ædificium prora puppique fere ſimilibus. Cumque haud ita procul a triremi natet, ad illam pertinuiſſe, artifex nobis forte innuere voluit; ex illis, quos dicimus modo, *la Lancia della nave*, *lo ſchifo della Galera*. Triremis hæc prope templum auguſtum ingens appulſura cernitur, triginta longis inſtructa remis hinc atque hinc, uno ordine, ſcutatis & lanceatis onuſta militibus, noſtrarum triremium inſtar plurimum habens. ſequuntur onerariæ duæ cum velo multis funibus diſtincto, ad modum ferme recentiorum illorum navigiorum, quæ vulgo dicimus *Tartane*. Ex his una ligneam domunculam continet, altera caret. proram hæc acutam & curvam in ſublime gerit, latam puppim atque extenſam. illa vero proram puppimque in arctum pariter & acutum deſinentes. intus piſcator jactis retibus. Major denique reliquis navis exprimitur venatoribus onuſta, acutâ & in altum verſatili prorâ, latâ puppi & ſublimi; cujus in medio lignea domus eleganter columnis ac ornato tecto conſtructa. plures in hac remiges, pluresque venatores qui lanceis eminus chiropotamos,

hoc

hoc eſt porcos, apros fluviatiles petunt. quorum duo jam transfixi, & grunnientes præ vulnerum dolore, hianti rictu aufugientes repræſentantur. alius ex aquis caput educens, pariter aperto rictu. Ædificia jam ſuperant recenſenda. Multiplicia hæc, urbana alia, alia ruſtica. Ruſtica quoque alia ſubitario veluti opere excitata, ex ligneis ſeptis, vallis, canna, ulvaque paluſtri, caſularum inſtar & tuguriorum: alia cœmentis conſtructa, humili tamen ſtructura. Circa hæc coloni, aut paſcendis armentis, aut venationi, piſcationi, & aucupio intenti. Inter urbana vero ædificia, computanda primo ſunt templa; quorum quatuor ſaltem in muſivo hoc pavimento repræſentantur. Omnium magnificentiſſimum & pulcherrimum in extremo ſiniſtri lateris margine deſcribitur; cum atrio columnis ſuffulto, laureis aut palmaribus ſertis circum undique dependentibus ornato, pretioſo quoque velo, tentorii inſtar, obducto. Ad quod Dux quidam exercitus accedit cornu præ manibus geſtans, & feminam ſacerdotis ſive deæ habitu indutam, palmam ſeu lauream, ſeu alterius fruticis ramuſculum, ſiniſtra tenentem, alloquens. Pone Ducem, plures ſunt milites galearum, ſcutorum, vaſorum, aliorumque ſpoliorum acervos, afferentes, & in ſuo quiſque clypeo ſcorpionis imaginem inciſam habentes. Catulus quoque Venatorius adſtat, ex iis, quos in leporibus venandis adhibere ſolemus. Juxta templum, dexterum ad ejus latus, turris adſurgit,

an-

ante quam palma, vas, & homo in ipſius portæ aditu. Hæc in ſuperiore faſtigio alia ædificia obtegere fingitur. inde in cupreſſorum alte eminentium lucum ingreſſus innuitur. monumentum aliquod ſepulcrale imitari, dixerim. Alterum eſt inſigne templum paullo ſuperius memorato hactenus collocatum, quatuor tantum ſuſtentatum columnis. Ante hoc ſedens homo ſeminudus laureatus dextera bacillum, ſiniſtra ſignum veluti militare, in quo avis eſt, geſtans. in ipſo templo ſimili habitu viri quatuor in ferculo pretioſum, ut videtur, candelabrum cum candela portantes, tanquam in pompa. pone quos dux coronatus ſequitur, & poſt illum ſigniferi duo cum ſignis, in quibus avis & quadrupes. Juxta templum ara quadrata, ſupra quam ſignum canis, Anubim latratorem merito dixeris. Circa illam, & templum, ſacerdotes quatuor laureati & ſtolati cum tibiis & cimbalis, eorum ſimilibus, quibus apud nos mulieres choreis præcinere vulgo ſolent. Duo alii inſuper ſacerdotes adſtant, quorum unus palmam ſiniſtra tenens, dexteram ad rotundum in monte excavatum ſepulchri aut ſacri adyti oſtiolum extendens, ſupplicantis in morem; alter primi comes cimbalum geſtans. Jam vero ad dexterum pavimenti latus, planiciem inter & montes, tertium eſt Templum. ante quod rotundum primo ædificium permodice erectum; poſt id obeliſci duo, ante quos laureati miniſtri pariter duo longa in veſte, femina virque ſenex, ſupplicantis in mo-

morem. Sequuntur hi præcedentem Fortunam, ut videtur, mulieris habitu, ſinciput capillo paſſo ornatum habentem, extendentemque, in modum oracula edentis, dexteram. in latere templi, ſorores veluti, figuræ muliebres duæ coronatæ, reſponſa Ægyptio reddentes colono, fuſcinam manu tenenti, & oraculum conſulenti. Retro templum, quadratæ cum feneſtris turres duæ paullo acutiores in vertice. Quartum quoque templum huic vicinum duas inter ſimiles turres extructum ſertis extrinſecus de lateribus parietum dependentibus ſignificatur. Juxta, ædificia alia, turrium inſtar habentia; pone quæ omnium maximum & magnificentiſſimum, quod ad virorum principum ac regum ipſorum ſepulcra deſtinatum videtur. Siquidem pluribus conjunctim turribus (pyramides alii dixerunt) diſtinguitur, & mauſoleo inſignis operis. ſupra unam turrim vas tanquam urna, ad cineres fortaſſe continendos. in exteriori ædificii latere ſigna hinc atque hinc quatuor, portæ ingreſſum bina ac bina exornantia. Ejuſmodi, quæ cadaverum unguentis illis ſuis perfuſorum, ac faſciis circumligatorum, infantium in morem, ſpeciem referunt; qualia ab Ægyptiis condiri mos fuit. nobis vulgo *mumie*; ſupra baſes, lotumque florem capitibus gerentia. Ingens hoc ædificium quadratæ areæ ſuperimpoſitum cernitur. Eſt & aliud ſeptum cum pinnis, quales in urbium muris ædificantur, cumque turri ad munimentum, quod vel arcem, vel illud

pariter ſepulcrum bene nominaveris. Et hæc quidem, in ſumma, Prænestini Fortunæ pavimenti a Sylla inſtrati minutis marmorum cruſtis eſt facies adhuc ſuperſtes. Quid vero tot exhibendo, tamque varias rerum figuras, ſibi voluerit ſapiens ille Dictator, veſtigare, ac ſtabilire, hoc opus, hic labor eſt.

Athanaſius quidem Kircherus noſter, vir omnigenæ, admirabilis, atque incredibilis doctrinæ, ac literaturæ (quamquam opere in longo, immo operibus in longiſſimis, dormitare aliquando, ut homo a criticis deprenſus eſt; quod & Homero conceſſit Horatius; namque opere in longo fas eſt obrepere ſomnum) Kircherus, inquam, hæc omnia Proſperæ atque Adverſæ Fortunæ vices in univerſum repræſentaſſe, exiſtimavit. Cum enim ſuperſtitioſi illi veteres, ac Sylla præcipue, Mundi regimen Fortunæ totum tribuerent, extollenti alia, alia deprimenti, omnia pro arbitrio verſanti; quidquid tandem in pavimento repræſentatur, id omne Fortunæ ludum eſſe, ludum inſolentem pertinacis ludere, ut ait, Horatius, voluit operis auctor ſignificare. In venationibus, namque, aucupiis, piſcatione, agricolatione, navigatione, aliiſque hominum ſtudiis, pro ſucceſſu atque exitu, felici, vel infelici, Fortunæ ab omnibus aleam ſubiri. Cujus templa duo in pavimento potiſſimum repræſentari Kircherus exiſtimavit. Alterum, in quo per Fatidicam ſacerdotem oracula & reſponſa ederentur, quod

quod Sylla acceſſerit, cum ſpoliis tam ex Aſiæ victoriis, quam noviſſime ex Mariana, Prænefte relata, congregatis, in munus ea Deæ oblaturus. Alterum, geminas Fortunas Proſperam atque Averſam, quas Prænefinas Sorores Statius nominavit, exhibere, reſponſa dantes. Per ſingula quidem humanæ vitæ acta ivit Kircherus interpretando; omniaque, ex Veterum ſuperſtitione, Fortunæ vim nunc Faventis nunc Inimicæ ſentire, demonſtravit. quæ, utpote cuique per ſeſe facile aptabilia, prudens prætereo. Atque hæc quidem Lithoſtroti plana obviaque fuerat interpretatio. Quam minime contemnens, immo ſummatim recenſens nuperus auctor, penitiorem tamen ipſe atque interiorem, & peculiarem de ſuomet penu adjecit, hujuſmodi. Cum L. Sylla Dictator Felicem ſeſe edicto vocari juſſiſſet, deleto Mario, Marianiſque partibus diſſipatis, recepta Prænefte; hinc totum, quod vicerat, Felicitati, Fortunæ ſcilicet, tribuens, eidem gratificari quammaxime optavit. Quare, cum longæ obſidionis atque crudelis direptionis injuriis, Præneften Fortunæ ſacram urbem, vix penitus non excidiſſet; vetuſque Deæ templum vaſtatione fœdaſſet; ad illud non modo reparandum ac reſtituendum, verum ampliandum quoque multo, ac magnificentiſſime ornandum adjecit animum. Cumque Victoriæ ſuæ monimentum perpetuum aliquod poſteris relinquere ibi geſtiret; victoriarum ſuarum imaginem in duriſſimis, diutiſſimeque dura-

turis muſivi operis lapillis, quibus lithoſtroton concinnari, juſſit, commendavit perennitati. Cum itaque Sylla, Prænesſte in poteſtatem recepta, Romam, Senatum, Rempublicam denique totam faſces ſibi ſubmittere vidiſſet, ſe Felicem edicto appellavit; quo nomine ut re frueretur, ad Dictaturam ſibi decernendam Senatum ipſum non tam conſuluit, quam adegit; quod regnum ac tyrannidem in patriam exercere velle, Appiano teſte, profiteretur; atque ita tam late diffuſum imperium conſequi, quam extenſa & patens Magni Macedonis ditio, regnum, ac fortuna memorabatur; quando Aſia minori magnaque rex ille devicta, ad expellendos ex Ægypto Perſas tum Victor tum Bellator acceſſit; & ad Jovis Hammonis oraculum exquirendum iter inſtituit; conſulturus Patrem, ut ait Curtius: 29. AN TOTIVS ORBIS IMPERIVM FATIS SIBI DESTINARET. Hanc igitur Alexandri Magni profectionem in Lithoſtroto eleganter propoſitam nuperus hic auctor agnoſcit, qui Ægypti regionem Nilo circumfluam ab Rege pervaſam navigio, dum ad oraculum Hammonis contenderet, ipſumque Alexandrum, & ab eo geſta in eo itinere, per imagines ibi deſcriptas, exhiberi, contendit. Æthiopes igitur cum volucribus & feris prælian-
tes, eos eſſe 30. quos interioris Ægypti montanæque ejus regionis incolas Curtius libro quarto deſcribit. Ubi vero Nilus, relictis montibus ad colles & ad planiciem delabitur, ibi in aquarum diviſione,

29. *Lib. 4. c. 29.*

30. *C. 29.*

ne, quæ Delta conſtituit, urbes duas inſignes occurrentes repræſentari, Heliopolim, ac Memphim. Et quidem navigantibus ab oſtio Nili ad interiorem Ægyptum, quod Alexander faciebat, ſiniſtrorſum poſita, ex hujus interpretis ſententia, Heliopolis eſt, obeliſcos oſtentans: quos Muſivi auctor ibidem repræſentavit. Hos vero Mithra rex, Plinii teſtimonio, 31. Soli primus erexit, in urbe Heliopoli, ſcilicet Solis ipſius urbe. Memphim deinde in adverſa Nili ripa conſtituit interpres, ædificia illa, ad quæ milites accedere in pavimento cernuntur; prope Pyramides ac regum conditoria. Huc adnavigaſſe Alexandrum, a Peluſio procedentem, quando Legatos Cyrenenſium excepit dona offerentes; utque ſuas urbes adiret, petentes. Ante hos, tamen, cum Memphi haud procul eſſet, Aſtacem Darii Prætorem ſupplicem habuit. a quo etiam fuere Alexandro tradita talenta octingenta, omnis regia gaza, & ſupellex. Sub tentorio igitur regio, ait noſter interpres, ſpectari Alexander poteſt cum expedita delectorum ſuorum manu, quos itineris ſocios ducebat, ita a Curtio, & pavimenti auctore deſcriptos atque expreſſos, cum vaſis & ſupellectile Perſica, quam ibi excepit. Ajente Curtio 32. *Pedeſtribus copiis Peluſium petere juſſis, ipſe cum expedita delectorum manu, Nilo amne vectus eſt: nec ſuſtinuere adventum ejus Perſæ, defectione quoque perterriti. Jamque haud procul Memphi erat, in cujus præſidio Aſtaces Darii Prætor relictus, oſtio amnis ſupera-*

31. *Lib. 36. c. 8.*

32. *L. 4. c. 27.*

rato, octingenta talenta Alexandro, omnemque regiam ſupellectilem dedit. A Memphi, eodem flumine vectus, ad interiora Ægypti perrexit. compoſitiſque rebus, ita ut nihil ex patrio Ægyptiorum more mutaret; adire Jovis Hammonis oraculum ſtatuit. Ita demum ſingula, quæ in Lithoſtroto ſpectantur, explicari debere novus hic interpres exiſtimavit, ad profectionem Alexandri per Ægyptum, ſolitis ſuis artibus ac ſtudiis intentum, in quo nihil Alexander, ut ex Curtio audiiſti, mutaverat, illa referens. quando Macedo contendit ad Hammonis oraculum, de Imperio Terrarum orbis conſulendum, ſibi a Paternis Sortibus deſtinato: ut Sylla Muſivi auctor, & Fortunæ Alexandri cupidus, atque Æmulator potentiæ, par ſibi reſponſum ab oraculo redditum (quod refert 33. Appianus) celebri hoc monumento partæ apud Prænestinos victoriæ ac dominationis, ſeu tyrannidis, inde inchoatæ, poſteris celebraverit.

33. *Bell. Civil. l. 1.*

Quam interpretationem celeberrimi & vaſtiſſimi operis, ingenioſam ſi negem, atque in pluribus aptam, injurioſus profecto interpretis eruditioni fuerim. Cum tamen hoc nobis per Lithoſtroton Prænestinum voluiſſe Syllam ſignificare, antiquis e Scriptoribus nullus memoret; num interpres, rem, ut ajunt, acu tetigerit, id adhuc apud me remanet incertiſſimum. Ægypti quidem regionem in Muſivo repræſentari, & Obeliſci, & Conditoria cadaverum Ægyptio more, & Crocodili, aliaque monſtra, dubitare utique neminem ſinunt. Ceterum du-

duces ac milites, quos Macedonas interpres existimavit, quid a Romano vestitu atque armatura distent, non video; ut non potius ipsos Romanos Syllæ milites, Syllamque ipsum referre, interpretari non debeamus.

CAPUT VII.

De Basilicis, Templis, aliisque Ædificiis magnificentissimum Fortunæ Prænestinæ templum olim ornantibus.

ANTÆ fuit olim amplitudinis Prænestinum Fortunæ templum, ut totum ferme præsentis Prænestinæ urbis spatium ædificiis atque ornamentis occupaverit; quod manifesta vestigia, quæ hactenus superant, satis evincunt. Non enim solummodo ædes, quæ ad ipsius Fortunæ cultum, sacrificia, tabellas votivas, ceteraque donaria continenda, opus forent, templum idem complectebatur; verum alia quoque ædificia, Basilicas, puta, templa aliis Diis sacra, ceteraque ornamenta in Populi usum, & delicias adjecta. Ac primo quidem Basilicæ duæ in Prænestini montis descensu, Fortunæque Septi consecrati ambitu, extructæ memorantur, *Æmilia* altera altera *Fulvia*, Varrone teste. Fuit Basilica Regium ædificium, ut Græcum sonat vocabulum, nunc Diis colendis, nunc Publicis Magistra-

ſtratibus atque Negociis exercendis, extructum. Latini voce patria, *Regiam* dixerunt, ut *Regia Numæ*; quamquam adoptato Græco vocabulo ſæpiſſime Baſilicas nominaverint. quod nomen & Italica recentiori lingua Auguſtioribus Deo Opt.Max. conſecratis Templis tribuimus. Columnis præcipue inſignia erant ædificia ejuſmodi, teſtudinem, ſeu cameratum tectum ſuſtentantibus. De horum uno Virgilius. 1.

1. *Lib. 7.*

Templum auguſtum ingens centum ſublime columnis atque alibi: *Hoc illis Curia Templum*. Itaque Præneſte circa Fortunæ Templum, ornatus gratiâ, Baſilicæ hinc atque hinc Æmilia & Fulvia fuerunt. Nomen ab auctoribus impoſitum illis credimus, alio ſcilicet Æmiliæ, alio Fulviæ Gentis. Medio inter haſce ſpatio Solarium a Cornelio Sylla, omne genus, Fortunæ templum & Prænestinam urbem, ornamentis nobilitare curante, conſtructum, legimus. Fuit autem antiquis Solarium Index motus Solis, nobis modo *Orologio a Sole*. quo unice, plura per ſæcula, Veteres, diurnum ad tempus horis diſtinguendum, uſi ſunt; cum machina perutili, qua tempus ſpatiis diurnis nocturniſque, ac ſignis auditui inſervientibus, diſtinguimus, ſcilicet *Orologio a ruota* ipſi caruerint. Fuit Romæ in Campo Martio Solarium publicum, ubi horarum index ſive *Gnomon* ut Græci ajunt, obeliſcus erat, haud ita procul ab Auguſti Mauſolæo erectus, in ripa Tiberis. Prænestinum tamen Solarium antiquius multo fuiſ-

ſe

LITHOSTROTI IN PRÆNESTINO OLIM FORTVNÆ TEMPLO FRAGMENTA.

ſe videtur, utpote cui antiquiſſima Latina lingua inciſæ literæ extabant. De illo luculentum Varronis eſt teſtimonium: inquit enim 2. *Meridies ab eo quod medius dies. D. antiqui non R in hoc loco, Medidies dicebant; ut Præneſte inciſum in Solario vidi, quod Cornelius in Baſilica Æmilia & Fulvia inumbravit.* 2. L. 5. L. L.

Præter duas Baſilicas, hinc atque hinc diſtinctas Porticibus, quarum in medio Solarium; ornabant etiam Prænestinæ Fortunæ aream templa Serapidi, aliiſque Ægyptiis diis dedicata. Teſtis lapis Græcis Latiniſque literis inſcriptus, qui circa Aquæ Luſtralis vas legitur Præneſte ad Divæ Virginis Annuntiatæ hujuſmodi

Γ. ΒΑΛΕΡΙΟΣ. ΕΡΜΑΙΣΚΟΣ. ΕΠΟΙΗΣΕΝ.
ΣΑΡΑΠΕΙΟΝ. ΔΙΙ. ΗΛΙΩ. ΜΕΓΑΛΩ.
ΣΑΡΑΠΙΔΙ. ΚΑΙ. ΤΟΙΣ. ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΘΕΟΙΣ

nempe. *Cajus Valerius Hermaiſcus Fecit Sarapium ſive Sarapeum Jovi Soli Magno Sarapidi & Diis, qui in eodem Templo coluntur.* Alia vero ex parte habet lapis

DOMVS . C. VALERI . HERMAISCI . TEMPLVM . SARAPIS . SCHOLA . FAVSTINIANA.
FECIT . VALERIVS . HERMAISCVS . DEDIC.
IDIB. DEC. BARBARO ET REGVLO COSS.

De Serapide quamplurima Suareſius 3. ediſſerit in ſua Præneſte; in quibus tamen referendis non multum immorabimur, ad alia properantes. Hæc tantum innuiſſe, ſatis eſto, Sarapidem ſive Serapidem Ægyptiorum Deum fuiſſe, ſub ſpecie bovis ab iis impenſiſſime ac magnificentiſſime cultum, Ale- 3. *Lib. 1. cap. 16.*

xandriæ præſertim, in celeberrimo templo, quod aliquot etiam Chriſtiana ſæcula perduravit. Serapis idem ac *Sarapis*, & *Sorapis*; *Apis* quoque, quod Ægyptia lingua *Bovem* ſignificat, deus hic olim fuit appellatus; ſuntque, qui eumdem ac Jovem & Solem, ut lapis noſter, interpretentur. Oſiridem etiam nonnulli fuiſſe exiſtimant. Alii Nilum putaverunt; nam modium & cubitum ſæpius in capite geſtabat, menſuram aquæ, quantum ſingulis annis excreviſſet, atque inundaſſet. Dii vero *Sinnaoi* hoc eſt *ejuſdem templi*, alii Ægyptii dii fuere; ut Iſis, Anubis, Horus, Canopus, ceteri. Hi variis diſtinctis cellulis ac ſacellis eodem ſolebant comprehendi templo; unde illis nomen. Alibi iidem *Synthroni* ΣΥΝΘΡΟΝΟΙ h.e. *Ejuſdem Sedis* appellantur, ut in lapide Muſei Kircheriani apud Romanum Societatis Jeſu Collegium. alibi *adelphi* ἀδελφοὶ ſcilicet *Fratres*: quemadmodum in hortis Julii Tertii Pontificis, ad Viam Flaminiam prope Urbem portentoſa ſub effigie legitur ΘΕΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ. *Dii Fratres*. Itaque in hoc Prænestino Serapidis templo ſignum ipſius fuit Serapidis, bovina ſpecie, cum ſacellis Ægyptiorum deorum ſodalium ab Cajo Valerio Hermaiſco extructis ac dedicatis, Idibus Decembris, Barbaro & Regulo Conſulibus, nempe ex Panvinii recenſione, Urbis Conditæ nongenteſimo decimo, Chriſti vero centeſimo quinquageſimo ſeptimo. Ex Latina autem allata Prænestina inſcriptione colligimus C. Valerium Hermaiſcum ſive *Mercuriolum* (ita enim

enim ſonat Græcum iſtud vocabulum) Sarapidi domum ſuam Prænestinam dedicaſſe, vel ſaltem juxta illam Serapeum, h. e. Serapidis templum feciſſe. Hujus veſtigia ſupereſſe nonnulla videntur Prænesте, rotundo in ædificio, quod vidimus, Ægyptiis aliquot confractis notis adhuc extantibus. Certe rotunda hujuſmodi templa pluribus ſimul diis dedicata fuerunt, quale Romanum Pantheon ſupereſſe cernimus; ad vitandam ſcilicet, Deos inter inibi cultos æmulationem, prioriſque aut poſterioris ſedis invidiam. In Prænestino autem hoc Serapeo Bibliothecam fuiſſe publicam, non dubitamus; cum hoc Serapii Alexandrini ad imitationem conſtructum fuerit, in quo celeberrima illa tot voluminum Bibliotheca; præcipue, cum pueri ac puellæ proxime alerentur, quorum in uſus libri commodiſſime proſtare poterant.

Namque, præter Serapèum, etiam *Schola Fauſtiniana* ab Hermaiſco Prænesте extructa in lapide memoratur. Quæ puerorum aut puellarum ab Fauſtina majori minorive Antoninorum uxoribus de publico ærario nutritarum Collegium fuit. De quo alia ſuperant monumenta. Capitolinus enim in Antonini Pii vita meminit, Imperatorem hunc, puellas alimentarias, in honorem Fauſtinæ uxoris, cui plurimum, quamvis immeritiſſimæ, tribuit tamen, & a populis tribui ſivit, inſtituiſſe; quas, de Fauſtinæ nomine *Fauſtinianas* appellari, voluit. Poſt quem M. Aurelius Antoninus Philoſophus Pii ſuc-

ceſſor Novas Puellas Fauſtinianas in honorem alterius Fauſtinæ junioris, Pii filiæ, uxoris ſuæ, fundavit; ut in ejuſdem Philoſophi vita memorat pariter Capitolinus. Morem hunc pium, & ab Antoninis ſuſceptum, ſignificat lapidis apud Suareſium fragmentum, his notis. 4.

4. *Præneſt. Antiq. L. 1. cap. 16. p. 59.*

T. AELI. HAD. . . . . .
ANTONINI . . . . . .
PII PONT. M. . . . . .
TRIB. POTE. . . . . .
IMP. II. COS. IIII. P. P
FILIO
PVERI . ET . PVELLAE
ALIMENTARJ

Quam in rem argenteus pariter nummus ab Menetrerio noſtro recenſetur, exhibeturque a Suareſio; cujus in antica facie Fauſtinæ Majoris caput cum literis DIVA FAVSTINA; in poſtica, Fauſtina eadem in ſolio, tribunali, podio, ſeu pulpito, publice ſedens; puellam ab offerente ſibi nutrice excipiens. ad ſolii latus puella alia aliâ ab nutrice offerenda exhibetur, cum literis circa: PVELLÆ FAVSTINIANÆ. Et alius apud Suareſium in Prænestina Mantiſſa, in quo adverſo Fauſtinæ Caput, ſolito hujus mulieris capillorum peculiari ornamento. Literæ: DIVA FAVSTINA. in averſo autem, Ædificium duplicis contignationis repræſentatur, columnis ſuffultum. in inferiori puellæ ſpicas, ſive quid ſimile, manibus præferentes quatuor, ad ſuperiorem Fauſtinam ſuſpicientes; Nutrices duæ infantes eidem Fauſtinæ offerentes. In altera contignatione mu-

mulier ſtans puellam infantem offerens duabus aliis, ſedenti alteri, alteri vero ſtanti. quas Majorem Minoremve Fauſtinas merito dixeris. in medio lectus, vel ſella, vel menſa, ad oblatas puellulas collocandas. infra literæ: PVELLAE. Circa utrimque diviſim FAVSTI-NIANAE. Denique, horum de Scriptorum auctoritate, lapis fuit Romæ ſculptas puellas tredecim exhibens, duabus a Fauſtinis in podio ſedentibus exceptas: immo ſpicas, alimentorum de publico præbitorum inſigne, excipientes. Quemadmodum alio in lapide eædem Fauſtinianæ puellæ coronas geſtantes exprimuntur. Horum omnium Primus Trajanus pii moris inſtitutor perhibetur. Hic etenim, auctore Plinio 5. & commendatore, quinque mille pueris de publico alimenta detulit. quod & in Beneventano triumphali Trajani Arcu poſteriori commendatum eſt, Luca Holſtenio monumentum id oculato teſte recenſente, ac referente. Et in fragmento lapidis apud Gruterum 6. ſic inſcripti

5. *In Panegyric.*

6. *Grut. pag.* 1084.

PVERORVM. PVELLARVMQ. VLPIANORVM

Hadrianus deinde pueris ac puellis Trajanalibus incrementum liberalitatis adjecit, Spartiani teſtimonio. Quod Antoninus Pius in plurimos per Italiam pueros puellaſque, egenis ortos parentibus, ſingulis in oppidis, de publico ali juſſos, ampliavit. Aurelianus tandem puerorum ac puellarum publicis altarum cibariis numerum auxiſſe traditur. Severuſque Alexander de matris nomine, cu-

cujus honori potiſſimum ſtuduit, teſte Lampridio, quemadmodum Antoninus *Fauſtinianos* & *Fauſtinianas* inſtituerat, *Mameanos* & *Mameanas* inſtituit. Ceterum Chriſtiani mox Imperatores ac Reges, atque in primis Romani Pontifices, horum pietatem ut par erat, æmulati, ὀρφανωτρόφια, ac βρεφωτρόφια ſcilicet publicas ad pueros atque infantes alendos educandoſque, ac bonis artibus informandos, ubique Gentium, domos inſtituerunt. Quos inter, Gregorii Tertii decimi eximia reluxit atque adeo relucet pietas, ſingulis pæne nationibus populorum, Collegia inſtituentis; ac Sancti Parentis Ignatii Loyolæ, Romæ in pluribus hujuſmodi fundandis domibus, ditibus ac principibus e viris pecunia corrogata, hoſpitalis plane animus, ac publicæ Chriſtianæ rei juvandæ incredibile deſiderium memorandum. Quodque fidem videatur excedere, veriſſimum, tamen, ac præſentiſſimum; nobis, qui Romæ degimus; Innocentii Duodecimi ſpectatiſſima in puellas pauperes miſericordia, non modo domum, cibaria, veſtes, inſtitutionem plurimis earum attribuit; verum Lateranenſes ipſas Pontificias Ædes magnificentiſſimas ad inhabitandum conceſſit; quæ propriæ Romanorum Antiſtitum Primariam Totius Orbis juxta Servatoris Noſtri Baſilicam incolentium ſemper fuere.

Itaque, ut ad Fauſtinianam Scholam Prænesſte jam redeamus; ædificavit C. Valerius Hermaiſcus Prænesſte Scholam Fauſtinianam, Domum nempe puel-

puellis alimentariis, a Fauſtina congregatis, educandis, propriam. Ibi, quemadmodum in aliis hujuſmodi domibus, bonis artibus informabantur puellæ; non iis tantum, quæ propriæ mulierum ſunt, nendi, ſcilicet, texendi, phrygio opere veſtes ornandi, ſuendi, atque his perſimilibus; verum etiam literis aliquatenus initiabantur; ac præcipue memoriæ mandare docebantur ſtatas & conceptas peculiares quaſdam preces, carminibus comprehenſas, in divorum honorem; quas publicis in pompis, Urbem circumeuntes, ipſiſque in templis, decantarent. Ad nuptias etiam celebrandas vocatæ, quas cum pueris alternatim canerent. Harum precum a puellarum choris ſive turmis cantatarum meminit Catullus in Carmine, ubi pueros ac puellas, turmatim, atque alternis, virginitatis & conjugii laudes concinentes eleganter inducit. innuitque, memoriæ hujuſmodi carmina a pueris ac puellis mandari conſueſſe, illo verſu:

Non temere exiluere. cavent quo jure parent ſe.

Et Horatius non ſemel moris iſtius locuples teſtis adduci poteſt. Nam & carmine in Apollinem & Dianam, cui *Sæculare* titulus eſt, inquit:

Dianam teneræ dicite Virgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium.

Cetera. & Carmine Sæculari pro Romani Imperii incolumitate, quod incipit:

Phœbe Silvarumque potens Diana, ait:

Quo Sibyllini monuere verſus,

Vir-

Virgines lectas, pueroſque caſtos,
Dîs, quibus Septem placuere Colles,
Dicere carmen.

Et rurſum:

Condito mitis placiduſque telo,
Supplices audi pueros, Apollo.
Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas.

Denique, quod ſtudio hæc carmina pueri puellæque diſcere conſueſſent, ſic ultimis verſibus ſignificavit Poeta:

Hæc Jovem ſentire, deoſque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus & Phœbi Chorus & Dianæ
Dicere laudes.

Ode autem Quarti libri ſexta, cui pariter titulus: *Carmen Sæculare ad Apollinem & Dianam*, manifeſte ait, non memoriæ modo hæc carmina a pueris & puellis mandata cani ſolita; verum etiam muſicis incluſa modis, arte multa. Ceteraſque puellas Primæ ductum & cantum ſecutas, cum pueris ſimul; non tamen alimentariis & egena de plebe natis, verum patriciis, atque illis quidem primoribus; ait enim:

Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, nomenque dedit poetæ.
Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela Deæ, fugaces

Lyn-

Lyncas & Cervos cohibentis arcu;
Lesbium ſervate pedem, meique
Pollicis ictum.
Rite Latonæ puerum canentes,
Rite creſcentem face noctilucam;
Proſperam frugum, celeremque pronos
Volvere menſes.
Nupta jam dices: ego Dîs amicum
Sæculo feſtas referente luces,
Reddidi carmen; Docilis modorum
Vatis Horatj.

Scholæ Fauſtinianæ Dedicationis forte meminit corroſus lapis Prænestinus apud Suareſium his literis:

. . . . . S. PVBLICA . EX . D. D. IN. HON.
. . . . . NIFICENTIAE . INSTEI. T. F. PVP.
. . . . . TR. PL. PR. COS. LEG. CONSVLARIS . PROV.
. . . . . SIS . EIVS . ACFRATRIS . FILIIQ. ET VXORIS
. . . . TVM . TABVLIS . HOSPITALIBVS . TRANSFERRI
. . . L. ANTE . CVRIAM . VEL . IN. PORTICIBVS. FORI
. . . . . CAVERAT . SCHOLAM . HANC . DICAVIT

Ornaſſe, præter hæc ædificia, Prænestinum Fortunæ templum, excelſam memorant Turrim; in cujus ſummitate quia faces accendebantur, ut noctu longe lateque etiam navigantibus in Tyrrheno mari forent conſpicuæ, *Pharon* ideſt *Prælucentem* appellaverunt. nobis modo in Portubus *il Fanale*, *la Lanterna* turres hujuſmodi nominantur. Excelſi hujuſce ædificii veſtigia nunc quoque Prænestæ cives oſtendunt antiquiſſimâ fuligine nigerrimam, vetu-

ſtiſſimam muri partem. De quo quid aſſeverem, non habeo, licet ipſe viderim & diligenter inſpexerim locum. Certe Nautas antiquitus Fortunæ vota feciſſe, ſollicitaſque fudiſſe preces, compertiſſimum eſt. Teſtis Horatius celebri ad Antiatinam Fortunam Carmine 7.

7. Lib. 1. Od. 35.

Te pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus: te dominam æquoris
Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.

Piſcinæ quoque, hinc atque hinc, duæ, Fortunæ Prænestinæ areas exornavere, pretioſo e lapide lacubus appoſitis, ac ſalientibus, fontibuſque & canalibus, ad ſacrificiorum lavacra, & populi uſus atque delicias. Harum lacunas ſive ciſternas vidimus in Prænestino ſpecu; nec mediocris altitudinis eas eſſe, projecti eo lapilli manifeſtarunt. Cetérum ornatiſſimum fuit hoc templum, genere ornatus omni, Arearum ſcilicet, Porticuum, Impluviorum, ſive Cavædiorum, Statuarum, Piſcinarum, Fontium, ſcalarum multitudine, magnificentia, atque elegantia incredibili. Ejus figuram, ſubſtructiones quoque & erectionem prudentibus e conjecturis, ſuperſtitibusque veſtigiis compoſitas exhibuere Kircherus atque Suareſius; quas hic nos quoque, adjungere non omiſimus. nuſquam tamen in horum, licet doctiſſimorum Magiſtrorum, verba jurantes, neque quidquam ex Tripode proferentes; verum liberum cuique, de his omnibus vetuſtiſſimis

mis rebus, relinquentes, ut par eſt omnino, judicium.

Prodigia vero non ſemel Prænestæ viſa memorantur ejuſmodi, quæ tamquam ominoſum quid & infauſtum procuratione & averruncatione indigens, Romæ nuntiata ſunt. Nam, præter Oracula ac Sortes Fortunarum, in quibus novi ſemper aliquid & prodigialis in rem ſuam ſacerdotes, & ſortilegi, ſervare ſolebant, atque nuntiare; V.C.DXL. Q. Fabio Verrucoſo & M. Claudio Marcello Coſſ. haſta Martis 8. Prænestæ ſua ſponte mota eſt. Et iiſdem auctoribus referentibus apud Suareſium, V.C. quingenteſimo octogeſimo octavo, M. Marcello P. Sulpicio Coſſ. in Prænestino cruenti deciderunt imbres. Sexcenteſimo decimo ſeptimo, M. Æmilio C. Hoſtilio Mancino Coſſ. Prænestæ fax ardens in cælo viſa. vigeſimo poſt anno L. Aurelio L. Cæcilio Coſſ. ibidem lacte pluit. Denique quod omnium terribiliſſimum, vento præcipue flante, anno ſexcenteſimo ſexageſimo primo, Conſulibus Valerio & Herennio, lana volitavit. Hæc prodigia iratorum veluti deorum nuntia atque argumenta, præcipue vero Fortunæ Prænestinæ, habita, ſupplicationibus & ſacrificiis, tum Romæ, tum vero Prænestæ, in Fortunæ Delubro procurata & averruncata a Romanis Prænestiniſque, non dubitamus. In quorum futili exponenda, vel deridenda potius ſuperſtitione, cum alibi in hoc Opere ſæpius idem præſtitum fuerit abunde, non immorabimur; ve-

8. *Liv. L. 24. Jul. Obſeq. c. 34.*

rum ad ſolidiora commemoranda narratio noſtra procedet.

CAPUT VIII.

De Colonia & Municipio Prænestinis, eorumque Magiſtratibus, Collegiis, ac variis Monumentis.

UM de Prænestinorum rebus geſtis acturi eſſemus, Prænesten Coloniam ab Albanis deductam diximus, regnante Albæ Latino Silvio. Hæc quidem prima Prænestinæ Coloniæ deductio jure cenſenda foret, niſi hac anterior ab Latino Rege facta ex Bonifatii de Ubertis quibuſdam carminibus erui poſſe, Suareſio viſum fuiſſet. En verſus de Latino Rege loquentes: 1.

1. L. 1. c. 13. Ditamond.

La Città di Preneſtre fecie all' hora
E per Lavina hedificoe Lavino,
E Re tre anni, e ſei meſi dimora.

Ait enim Suareſius his verſibus, (cum de Conditore, ex iis, quæ hujus Libri initio diximus, intelligi minime poſſint) Latinum Prænestinæ Deductorem Coloniæ Primum deſignari. Verum, tanta profecto non eſt Bonifacii de Ubertis Scriptoris inter antiquos recentis auctoritas, ut ad ejus verba immorari merito debeamus, eaque cum Veterum auctoritate conciliare anxie curemus. Quare, poſt Albanorum Coloniam, aliam Præneste deductam

a L.

a L. Sylla, verisimile est. Colligique id optime posse, de Ciceronis Agraria & Catilinaria videtur. Cum Tullius, iis orationibus, Syllam dicat, Præneſtino oppido cædibus ac proſcriptionibus exhauſto, novos impoſuiſſe colonos, victores ſcilicet milites ſuos, qui illud ceperant ac diripuerant. quibus etiam agrum circa omnem viritim diviſit. Præneſtinæ Coloniæ Prænestinus meminit lapis apud Merulam, alioſque permultos auctores recenſitus. 2.

2. *Cosmogr. p. 2. L. 4. p. mihi 576.*

FLAVIAE RVFINAE
M. BARBI . FASTI
CONSVLARIS
PATRONI . COLONIAE
PRAENESTINORVM
FILIAE . OPTIMAE
MERITAE . PRENESTIN
D. D.

Et alius apud Suareſium Paci Auguſtæ ſub ſigno quondam Prænesſte appoſitus in hæc verba:

PACI . AVG
SACRVM
DECVRION. POPVLVSQ
COLONIAE . PRAENESTINAE

Tertius quoque ſub ſtatua T. Flavii Prænestinæ Coloniæ Patroni, ſic: 3.

3. *M. SS. Corradin.*

T. FLAVIO . T. F. GERMANO
CVRATORI . TRIVMPHI . FELICISSIMI
GERMANI . SECVNDI . DACICI
IMP. CAES. NERVAE TRAIANO . AVG.
IN CIIIIIIIIIII EXORNATO
SACERDOT. SPLENDIDISSIMO . PONTIF. MINOR
PROC. XX. HER. PROC. PATRIMONI . PROC. LVDI
MAGNI . MATVTINI . PROC. REG. VRBI
DEFVNCTO . SIBI . OFFICIO . VIARVM

STER-

STERNENDARVM . VRBIS . PARTIBVS . DVABVS
PROC. XX. HER. VMBRIAE . TVSCIAE . PICENI
BIS. CAMPANIAE . PROC. AD . ALIMENTA
ITALIAE . BRVTT. CALABRIAE . ET . APVLIAE
CVR. AEDIFICIORVM . TECTORVM . OPERVM . PVBL
ET . AED. IĪ VIR. FLAM. DIVI . AVG
IĪ VIR. Q. Q. PATRONO . COLONIAE
CERDO . LIB. PATRONO . INCOMPARABILI
CVM . FLAVIS . MAXIMO . ET . GERMANO
ET . RVFINO . FIDISS. EQVO . PVBL. ORNATIS

Quartus item ſub Auli Munii Auli Filii ex Minicia Tribu ſplendidi Equitis Romani, Prænestinæ Coloniæ Patroni equeſtri ſtatua

A. MVNIO . A. F
MIN. EVARISTO
SPL. EQ. R. PAT. COL
OMNIBVS . HONOR
NITIDE . FVNCTO . OB
INSIGNEM . EIVS . EDITIONEM
MVNERIS . BIDVI . POPVLO
POSTVLANTE . BIGAM
PLACVIT . EQVEST. STATVA
DECRETO . ORDINIS . EVM . DONARE
L. D. D. D

Quintus apud Sponium 4. qui tamen idem cum primo eſſe videtur, quamquam a Sponio Prænestе repertus paullo aliter ſic referatur. 4. *Miſcell. p.* 194.

IVLIAE RVFINAE
C. IVLII . FESTI
CONSVLARIS
PATRONI . COLONIAE
PRAENESTINORVM
AELIAE . OPTIMAE
MERITAE . PRAENESTIN
I. I. V. D. D

Sex-

Sextus apud Fabrettum 5. ſub Lucii Statii Juliani ſtatua quondam Prænesteſte poſitus, & anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimoquinto Prænesteſte effoſſus. 5. *Cap. 5. f. 411. n. 312.*

L. STATIO . L. F. STELLAT
PROSPERO . IVLIANO
X. VIRO . STLITIBVS
IVDICANDIS . ITEM
VI. VIRO . TVRMAE . SECVNDAE
PATRONO . COLONIAE
AMATORES REGIONIS
MACELLI CVLTORES
IOVIS . ARKANI
L. D. D. D

Ex quo Regionem Macelli fuiſſe in Colonia Prænesteſtina, habes, Jovemque puerum in gremio Fortunæ lactentem etiam *Arkanum* ſive Arcanum dictum; num ab *arcanis* num ab Area Sortium? hoc magis veriſimile. In his itaque lapidibus, rotunde ac nitide, Coloniæ nomen Prænesteſtinæ legimus. quod & in aliis referendis eruimus. Cum Magiſtratuum meminerint, qui in Coloniis nominabantur, ac præcipue Decurionum, Ordiniſque eorum. En illos 6. 6. *Suar. Præneſt. Antiq. ſparſim.*

I.
SECVRIT. AVG
SACRVM
DECVRION. POPVLVSQ

Huic lapidi Gruterus addidit lineam, in qua legit
COLONIAE PRAESTINAE
Quam tamen Suareſius non recenſuit. Et ſub Decii Velii ſtatua Prænesteſte olim appoſitus

II.

II.

D. VELIO
TROPHIMO
SEVIRO
AVGVSTALI
CVRATORI
MVNERIS . PVBLICI
DECRETO . DECVRIONVM
POSTVLANTE
POPVLO . F. F
S. P. P. P

Nempe: *Fecerunt ſua Pecunia* ſive *ſacra Pecunia Præneſtini*. a tergo hujus baſis legebatur

CVRANTIBVS
. . . . . TORINO
APRILE . II. VIR
VII. K
TORIN . . . . . VIR
APRILE

In lapide quoque ſub Cnei Voeſii Cnei Filii Apri ſtatua, Decurionum, quorum auctoritate poſita fuerat, mentio fit.

III.

CN. VOESIO
CN. FIL. APRO
QVAESTORI AEDILI . II. VIRO
FLAMINI . DIVI . AVGVSTI VI. VIRO
AVGVSTALI . CVRATORI . ANNON
TRIENNIO . CONTINVO . CVRAT
MVNERIS . PVBLICI . GLADIATORII . III
QVOT ISTE . TEMPORE . HONORVM . CVRARVMQ
SVARVM . PIENTISSIMO . MVNIFICENTIAE
STVDIO . VOLVPTATIBVS . ET . VTILITATIBVS
POPVLI . PLVRIMA . CONTVLERIT . LVDVM . ETIAM

GLA-

GLADIATORIVM . ET SPOLIARIVM . SOLO . FACTO
SVA . PECVNIA . EXTRVCTVM . PVBLICE . OBTVLERIT
CVIVS . MERITIS . POSTVLANTE . POPVLO
STATVAM . PVBLICE . PONI . PLACVIT . D. D

Et in baſi ſtatuæ Æliano Prænesſte poſitæ Decurionum ſimilis mentio habetur, utpote ſuo loco infra exponemus. Præter Decuriones autem, & Quæſtores, & Ædiles, & Duumviros, & Flamines, Seviros Auguſtales, Curatores Annonæ, Lupercos, Archiereis, Curatores Muneris Publici, alioſque Coloniæ Magiſtratus, Prænesſtinis in lapidibus occurrentes, paſſim legimus. Profecto ad Tiberii uſque tempora Prænesſtina Colonia manſit; cum ipſis poſtulantibus Prænesſtinis, in Municipii, & quidem peculiaris, jura conceſſit. Siquidem Auli Gellii teſtimonio, 7. retulit Divus Hadrianus in oratione, quam de Italicenſibus, unde ipſe ortus fuit, habuit in Senatu; maximopere a Tiberio Imperatore petiiſſe Prænesſtinos, & oraſſe, ut ex Colonia in Municipii ſtatum redigerentur; idque illis Tiberium, pro referenda gratia tribuiſſe; quod in eorum finibus, ſub ipſo oppido, ex capitali morbo revaluiſſet. Atque hac de cauſſa in Sexti Julii Frontini Libro de Coloniis, Nervæ, ut multi ſuſpicantur, tempore ſcripto, Prænesſte non jam *Colonia* ſed *Oppidum* tantummodo nominatur. Quod autem peculiari quadam ratione Prænesſte Municipium factum fuerit, Feſtus quoque attigit, Municipiorum plures ſpecies recenſens: *Tertio*, inquit, *municipium definitur id genus hominum, qui ad Civitatem Roma-*

7. *Noct. Attic. L. 16. c. 13.*

nam ita venerunt, ut essent Municipia suæ cujusque Coloniæ, ut Tiburtes, Prænestinique. cetera. Quæ Festi verba, nisi vehementer fallor, hoc sibi volunt; nempe, Tibur atque Prænestе, quæ Civitates fœderatæ Latinæ erant, suis legibus relictas fuisse. quemadmodum fuse de Prænestinis municipibus agens edisserit Alexander ab Alexandro. Municipii Prænestini meminit, inter alios, lapis Sacræ Ædi principi Prænestе adhærens cujus tamen Suaresianam editionem emendavimus ex Fabretto, 8. his notis:

8. *Fabrett. Inscript. c. 1. p. 77. n. 85.*

GENIO
MVNICIPJ
C. TAIONIVS
CYPAERVS
PATER . ET
C. TAIONIVS
CYPAERVS FILIVS
D. D

Scilicet Genio Municipii Votiva Tabula hæc fuit Dedicata ab Tajoniis. Alius item lapis Prænestе prostans Municipii sic meminit:

C. SEPTIMIO . C. F. PVB. SEVERO
PATRONO . MVNICIPII
T. SENTIDIVS . T. F. PAL. IVLIANVS
AMICO . OPTIMO

Floruit Prænestinum Municipium honoribus omnibus, quibus unquam fœderata ulla Civitas a Romanis ornata fuerit. Nam & Primi, qui Romani Cives renuntiati fuerunt e Latinis populis, cum illi defeciſſent, ab Appiano dicuntur 9. Tiburtes & Præne-

9. *L. 1. Bell. Civil.*

neſtini; Municipes quamquam ſuæ Civitatis quique remanſerint. Et antiquiſſimis Romanæ Reipublicæ temporibus non modo fœderati, verum etiam liberi omnino erant; adeo ut Romanis exulibus Prænesſte impune ac tuto commorari liceret; honorumque omnium & ipſius quoque Dictaturæ participes iidem eſſe poterant. Quare & *Rempublicam* ſeſe aliquando, poſterioribus etiam ſæculis, nominare Prænestini non dubitarunt. Teſtis lapis Agilio Septemtrioni Pantomimo erectus, ejuſque ſtatuæ Prænesſte olim appoſitus, in hæc verba.

M. AVRELIO . AVGG. LIB
AGILIO . SEPTEMTRIONI
PANTOMIMO . SVI . TEMPORIS . PRIMO
HIERONICAE . SOLO . IN . VRBE . CORONATO
DIAPANTON . AB . IMPP. D. D. N. N
SEVERO . ET . ANTONINO . AVGG
PARASITO . APOLLINIS
ARCHIERI . SYNODI . IIIIII . VIR. AV. . . . . .
HVIC RESPVBLICA . PRAENESTINA
OB . INSIGNEM . AMOREM . EIVS . ERGA
CIVES . PATRIAMQ
POSTVLATV . POPVLI . STATVAM . POSVIT

In alio pariter, ſub Anatellontis ſtatua, per Gruterum relato; quamvis Suareſius de illius antiquitate dubitaverit, ex ſtylo; cujus cauſſa, nos tamen nihil hæſimus, quin inter antiquos & genuinos computaremus; neque in toto lapide quid ſingulare, ob cujus ſtabilimentum fingi a quoquam deberet, adhuc invenimus. En illum.

EXEMPLVM . DECRET. Q. F
Q. IVNIO . SYLLANO . ET
L. SEPTIMIO . VALERIANO . COS
POSTVLANTE . CLAVDIO . MARONE
VTI . LOCVS . AD . STATVAM . PONENDAM
OPTIMAE . MEMORIAE . VIRO . QVONDAM
FILIO . AELI . AVG. LIB. ANATELLON
AMANTISSIMO . REIPVBLICAE . NOSTRAE
PLACVIT . ET IN . HONOREM . ANATELLONTIS
SEMPER . ET . VBIQVE . DE . REPVB. OPTIME . MERITI
ET . IN . GRATIAM . CLAVDI . MARONIS
LOCVM . AD . STATVAM . PONENDAM
AD . ELECTIONEM . IPSIVS . ARBITR. DARE

Quo in lapide litteræ Q. F. ſignificant *Exemplum Decreti Quod Factum*; ſupple *eſt*. Suareſius forte ſuſpectas habuit voces illas, *Reipublicæ Noſtræ*. Verum nil ſuſpicionis juſtæ ab illis oriri debet, cum in ſuperiori lapide, certe antiquo, *Reſpublica Prænestina* rotunde, omni dubio procul, nominetur. Quæ ſuſpicio multo magis faceſſet, ſi & *Senatus Conſulta* facta ab Prænestina hac Republica, memorari, vetuſtis ejus in lapidibus, recoluerimus. Hunc, in quo Kalendarii fragmentum, attulit ipſe Suareſius 10.

10. *P. 62. c. 18. l. 1. & Gruterus p. 136.*

NON . N. CONCORDIAE
IN . ARCE . FERINAE . EX
S. C. QVOD . EO . DIE
IMPERATOR . CAESAR
AVGVSTVS . PONTIFEX
MAXIMVS . TRIB. POTEST
XXI. CONSVL. XIII. A . SENATV
POPVLOQVE . ROMANO . PATER
PATRIAE . APPELLATVS

Prænestæ lapis hic legebatur. optimeque in illo Romanus Prænestinusque Senatus diſcriminantur.

tur. ait enim, Nonis Novembribus Feſtum fuiſſe Deæ Concordiæ, Prænestino ejus in templo, in Arce Ferinæ collocato. atque id feſtum ex *Senatus Prænestini* fuiſſe inſtitutum *Conſulto*; quod eo die Auguſtus Cæſar Pater Patriæ ab Senatu Romano appellatus fuerat. Hæc tamen nomina *Reipublicæ*, atque *Senatus* nonniſi per abuſum & ambitionem ſibi per id tempus Prænestina Civitas tribuit; cum jamdiu ſub Romanorum poteſtate penitus viveret; nec Coloniæ adhuc jura exceſſiſſet; quæ in Municipalia mutaſſe ſub Tiberio tantum, memoravimus ex Aulo Gellio; neque aliud fere tunc temporis eſſet, quam amœnum per æſtatem Romæ ſuburbium, quo ad ruſticandum ſecederent viri principes. Reipublicæ meminit Prænestinum aliud fragmentum, ex quo pariter Penatibus Sacrarium Prænestе olim extructum, cognoſcimus:

PENATIBVS SACRARIVM
- - - - ANVS . PONT. MIN. PATRON
T. REIQ. PVBLICAE . DO . . . . .

Et aliud alterius Senatus Conſulti ſic:

C. SAVFEIVS . C. F
M. SAVFEIVS . L. F
PONTENVS
AID . EX . S. C

Nobilis fuit Prænestina Colonia, Nobile Prænestinum Municipium ædificiis magnificentiſſimis. non modo, inquam, celeberrimo Fortunæ templo, aliiſque aliorum Deorum; verum etiam aliis atque aliis ad ludos præcipue omne genus habendos.

Amphi-

Amphitheatrum inprimis fuiſſe Prænesſte vetuſtæ exesi lapidis litteræ, ibi repertæ, & ab Suaresio allatæ, memorant iſtæ [11].

11. *in M.S. addit. Præn. Antiq.*

M. Ƒ ARENVS . CLARI . L. YRAN
AMPHITHEATRI PARTEM DIMIDIAM . IN . SOL

Ibi Gladiatorios habitos ludos, ceteraque ſpectacula, tum ex lapidibus, tum ex Corn. Tacito colligere eſt, ajente; ſub Nerone, Prænesſte Gladiatores Ludum, irruptione facta, effringere cogitaſſe; unde ingens exortus timor. Quamquam, ſopita ſeditione, mox ut detecta, evanuerit. Circum quoque Prænesſte extitiſſe, lapides ſub ſtatuis Agitatorum, qui quadrigarum in ludis vicerant, jam adducti, ſignificant. Unde non ſolum *Spoliarium*, quod legimus a ſolo factum ab Cn. Voeſio una cum ipſo Gladiatorio Ludo; verum *Gymnaſium*, *Theatrum*, ceteraque loca omnia ludis hærentia, & convenientia Prænesſte fuere. De Ludis Prænesſte habitis, & egregie quidem, jam ab Triumvirorum ætate, illuſtre hoc eſt Ciceronis documentum: [12]. *Habes, quæ, dum tu abes, locuti ſunt. Ludi interea Prænesſte. ibi Hirtius & iſti omnes, & quidem Ludi dies octo. quæ cœnæ! quæ deliciæ!* Quos ad Theodorici Italiæ Regis tempora inſtauratos identidem, meminit Caſſiodorus in Formula Vicarii Urbis, in qua ſic [13]. edicitur: *Intra quadrageſimum Sanctiſſimæ Urbis jura cuſtodis: Prænesſte ludos edis in vicem Conſulis in honorem poſitus.* Hos bidui editos ſive potius Gladiatorum Munus, refert lapis, ab Aulo Munio Evariſto Auli filio e Mi-

12. *Ep. ad Attic.*

13. *L. 6. Var. ep. 15.*

ni-

nicia Tribu, in ſuperioribus jam adductus. Ædiles forte fuere Saufeji Cajus, & Marcus, de quibus nuper locuti ſumus; ad quos ex officio ludos edicere, dare, & donare, exhibendoſque curare, pertinuit. Quorum duplex adhuc duobus in cippis, columellæ quadratæ inſtar, memoria Prænesſte ſupereſt.

in altero
C. M. AGVLNIVS . C. F
SCATO . MAXS
C. SAVFEIVS . C. F
FLACCVS
PR
SACRAVERVNT

in altero autem
C. SAVFEIVS . C. F.
FLACCVS
C. M. AGVLNIVS
SCATO MAXS
PR
SACRAVERVNT

In quibus duplex Caji Marci Agulnii prænomen, quod perrarum eſt, notandum. Prætores autem dici hic videntur, qui aliquid alicui numini publice ſimul conſecraverint. Præter hæc Urbana ædificia (nam de Prænestinis villis mox ſermo) etiam fuere amplæ Porticus, quarum una in fragmento lapidis memoratur:

. . . . . L. X. POM
TRIB. MIL. II. ЯIL
DIЯI AVG. NERONIS
PRAEFECTVS TESTAM
. . POMPEIA . MYMMI
. . . . . VMMA . PORTICVM MAR
. . . . . FRE ALBARIO . ADIECTA
. . . . . OVINO BASSV

Forum autem præcipue circumdabant, & exornabant, publica hæc ædificia. Circa quæ in ipſo Foro ſtatuarum vis ingens ac populus, ut cum Plinio loquar. Poſitæ fuerant hæ nunc ſtantes, nunc equeſtres,

ſtres, nunc ſedentes Curulibus in ſellis, vel in bigis, Prænestinis Clariſſimis viris, ob res domi foriſque, tum in bello tum in toga, præclare geſtas. pluribus etiam Romanis de Prænestina Civitate Benemerentibus, Coloniæ ac Municipii Patronis, Sacrorum ac præcipue Fortunæ Templi, Curatoribus, & ſacerdotibus. Ac Romana jam difluente diſciplina, etiam Agitatoribus, Mimis, Pantomimis, ceteriſque id genus ſcurris, & fæci hominum. Harum titulos cujuſque baſi appoſitos & inſcriptos pleroſque jam alia deſcribens hactenus in medium protuli; neque ſupervacaneo hic labore ultra repetam. Reliquarum titulos cum de Claris Viris Prænestinis ſermo erit, infra recenſebimus. Hic tamen non omittendum, in Foro, præter multitudinem ſtatuarum, locum fuiſſe peculiarem, quem Græca voce *Hemicyclum*, ſcilicet *Semicirculum* nominabant. Fuit autem in inferiore Fori parte, ſedilibus undique ornatus, ad quem Prænestini de publicis privatiſque rebus inter ſeſe communicaturi, convenire ſolebant. Contra quem Faſti Conſulares Romanorum a Verrio Flacco Prænestino in ordinem digeſti, marmoreo parieti, quod ait 14. Svetonius, inciſi, publicati erant. Quamvis enim Svetonium aliter alii legerint; & pro *Præneste*, ſcripſiſſe illum *pro Veſtæ* cum de Verrii ſtatua & Faſtis locutus eſt, contenderint; ita ut in Foro Romæ ante Ædem Veſtæ, non in Foro Prænestе Verrii ſtatuam & Faſtos a ſe ordinatos, collocatos Tranquillus dixerit (cui ſententiæ calculum

14. *De Clar. Grammatic.*

lum & quidem graviſſimum ajunt, rem ipſam addidiſſe; quando nempe Conſulares Faſti ſive Triumphales lapidibus inciſi in Hortis Farneſianis apud antiquum Romanum Forum effoſſi ſunt,) quamvis inquam, hæc omnia ſic ſe habeant; *Præneſte*, nihilominus, ajo, legendum conſtanter, omni dubio procul, in Svetonio eſſe; ibique Verrium Statuam habuiſſe, contra Faſtos marmoreo parieti inciſos a ſe ordinatos collocatam. non modo enim Svetonii codices tum manu deſcripti, tum editi ante dubium ſuper hoc a Scaligero excitatum, *Præneſte* rotundæ habuere; verum & poſt inane idem dubium habent fere omnes. Rurſum longe nimis petita Svetonii lectio eſt; *Pro Veſtæ*, loco dicendi *Præneſte*. non enim tam conciſe loqui Svetonius aſſolet; nec ſatis Forum indicaſſet auctor idem, in quo Verrii ſtatua collocata fuerat, ſimpliciter Forum nominando; cum plura Romæ illa ætate, & quidem celebria ſingula, Fora extarent. Quod autem Faſtorum fragmenta haud ita multis ab hinc annis in Farneſianis Hortis eruta Romæ fuerint, qui prope Romanum Forum, & eorum pars aliqua in ipſo Fori ſitu, conſiti ſunt; contrarium tamen veriſſimæ ſententiæ noſtræ minime evincit. Dicimus, enim, eos Faſtos tum Romæ, tum Præneſte in Foro merito collocatos fuiſſe. Romæ quidem, quod Romani eſſent Faſti; Præneſte, quod a Præneſtino cive ordinati fuiſſent. Porro veriſimile quoque eſt, eoſdem in omnibus fere urbibus paullo cultioribus proſtaſſe quem-

admodum ſeries Romanorum Pontificum aut Imperatorum, ad annos computandos, tot in locis per hæc tempora publice collocari ſolet. Ceterum, rem ita ſe habere atque adeo habuiſſe, planiſſime evincitur, ex detecta Prænefte baſi ſtatuæ Verrii Flacci olim in ejus urbis Foro collocatæ, in qua etiam Faſtorum mentio fit. En illam, prout ſolertiſſimus Antiquitatis indagator Fabrettus ibidem legit in ſchedis Barberinis atque deſcripſit. 15.

15. *Inſcript. Cap. 6. fol. 486.*

Q. VERRIO . Q. F. PAL
FLACCO
SEVIRO . AVGVSTALI
CVRATORI . MVNERIS
PVBLICI
DECRETO . STATVAM . ET . FAS
ORDO . DECVRIONVM . ET . AVGVSTALIVM
ET PLEPS . VNIVERSA . S. P. P. P. D. P

Ceterum ſua habuit Corporatorum Collegia Prænestinum Municipium. Collegium Fabrum, ejuſque Præfectum L.Flaccum Apollinarem, Prænestinus cippus commemorat.

DIS MANIBVS
L. FLAVI
APOLLINARIS
PRAEF. FABR
T. FLAVIVS
PRISCVS
PATER . FILIO
PIISSIMO
FECIT

Collegii ejuſdem meminit lapis alius, qui olim ad Sancti Petri in Prænestina arce, ſive juxta illam, legebatur

VE-

VENANDI . STVDIOSO
TI. CLAVDIO . NICOSTRATO
IIIIII. VIR. AVG. QVINQ. PERPETVO
COLLEG. FABR. PRAENESTINOR
ANNIA . PROCILLA . CONIVX . ET
CLAVDII . NICEPHORIANUS
PROCVLVS . ET . ANNEIANVS
FIL.

Alia quoque, velut in ceteris Coloniis ac Municipiis, fuiſſe in Prænestino Collegia, pro certo habemus: quamquam peculiaria eorum ad nos monumenta non pervenerint.

Prænestinis Monumentis & hoc attexendum, quod in marmorea baſi pulcherrima literis elegantiſſimis exaratum. in Agro Prænestino Anagniam verſus refoſſum eſt Anno Chriſti MDCCXXXIV. & a me recenſitum.

TELEGENIAE NOBILI
MATRI
PIENTISSIMAE ET
M. BETTIO CONSTAN
TI PATRI
BETTIVS EFFICAX
PROC. AVG FECIT

Ubi pariter erutus eſt aureus annulus his notis circum inſcriptus: VIVE SEBIRINE FELICITER.

Et in ædibus Petri de Pacificis Prænestæ repertus lapis Anno ſalutis MDCCXXXIII. ita lectus

M. JVNIVS . M. F
MAIOR
ARCHIMIMVS
APOLLINIS PAR SIT
POSIT
POSTVMIA . OL. CYDILIA

Fragmentum vero Præneste in vinea Apollonii sic recensivit Fabrettus 16.

16. *Inscrip. c. 3. p. 198. n. 477.*

....PROC. AVG. PATR. COLON.
.... M. OMNI . ORNA. MACEL. FEC

Præneste item & hoc fragmentum *

* *Pag. 517. n. 254.*

L. LICIN
SVCCES

Et in testaceo figulinæ . *

* *Pag. 518. n. 285.*

PLOTIAS
PHOEBE

Similiter . *

* *Pag. 519. n. 292.*

L. POMPEI
FORTVNATI

Item * Præneste

* *Pag. 519. n. 307.*

Q. T. S.

* Sigillum rotundum cum literis circa

* *Pag. 520. n. 313.*

DOLIAREL RVSTI LYCDAMI PAETIN ETAPRONIANO COS

Affert idem Fabrettus * tanquam in Ara grandi insculptas & Præneste in Ædibus Principum prostantes has litteras certe mutilatas præcedentibus

* *Pag. 695. n. 163.*

DECVRION. POPVLVSQ
COLONIAE PRAENEST

CAPUT IX.

De Veterum Villis & Sepulcris in Prænestino.

Uisse omni ætate Prænestinam regionem deliciis rusticationis aptissimam, & situs ipse, & Veterum testimonia, & villarum rudera adhuc extantia, nobis ostendunt. Situs enim regionis reductus admodum & mediterraneus illam a maris commercio segregat, & ab urbium reliquarum strepitu; quo quid ad rusticationis secessum aptius? Frigida quidem aliquantulum est, si quis eo hiematum pergeret. Verum quod, per hiemem, summum foret incommodum, maximum inter commoda æstivantibus est, opacum frigus. Quare Florus Prænesten *æstivas Romanorum delicias appellavit*. Veterum autem plurima supersunt testimonia Scriptorum, quod Prænestina frequentata sit rusticatio. Ut enim missa faciam antiquiorum monumenta sæculorum; certe nuper memorabamus ex Cicerone, Triumvirorum ætate, Ludos inter Prænestе habitos, genio ab Romanorum præcipuis ibidem, cœnas inter atque delicias, indultum. *Ludi interea Prænestе*, inquit Tullius; *ibi Hirtius, & isti omnes; & quidem Ludi dies octo; quæ cœnæ? quæ deliciæ!* Sub Cæsaribus vero, de ipsorum exemplo, floruit Prænestina rusticatio quammaxime. Namque Augustus illam æque ac Tiburtinam & Lanuvinam adamavit; adeoque villam in Prænestino præstantissimam eum-

eumdem habuisse, dubitari non potest. Svetonius
1. In Aug. c. 27. de illo 1. *Ex secessibus*, inquit, *præcipue frequentavit maritimam, insulasque Campaniæ; aut proxima Urbi loca, Lanuvium*, PRÆNESTE, *Tibur: ubi etiam in porticibus Herculis templi persæpe jus dixit. & itinera lectica, & noctibus fere, eaque lenta & minuta faciebat; ut Præneste vel Tibur biduo procederet; ac si qua mari posset pervenire, potius navigabat*. Itaque cum Augusto & fidissimum ejus Mecœnatem, & Agrippam generum, & ceteros viros principes, primique subsellii, Prænestinam frequentasse rusticationem, quis dubitet? Sparsum proinde villis Prænestinum agrum, atque Prætoriis, quæ tantos Senatores decerent. Cum illis certe Horatius noster otiatum sese, ipse testatur; Homerique poemata Prænestino in secessu
2. Ep. prim. L. 1. remotum legisse, sic ad Lollium amicum scripsit: 2.

Trojani belli Scriptorem, Maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi:
Qui, quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

Delectatum vero Prænestino secessu se, atque cum Sabino, & Tiburtino, cum paucis ceteroquin sibi dilectissimo, Bajanisque deliciis celeberrimis æquasse eumdem per æstatem, frigidæ regionis ergo, in-
3. Od. 4. L. 3. nuisse, sic legimus: 3.

Vester, Camænæ, vester in arduos
Tollor Sabinos; seu mihi frigidum,
Præneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidæ placuere Bajæ.

Poe-

Poetæ hujus elegantiſſimi nobiſque familiariſſimi Prænestinum Fundum cum villa, eo loco fuiſſe, tradunt, congruente nomine, qui modo eſt *Sancti Joannis in Campo Horatii*, Prænestinis in montibus. Tiberium Cæſarem otiatum in Prænestino aliquando, antequam ſcilicet Caprearum in rupe ſederet cum grege Chaldeo, conſtat ex illo, quod Gellii teſtimonio narravimus; illum Prænestinis enixe poſtulantibus conceſſiſſe, ut urbs eorum ex Colonia Municipium fieret, ſingularibus privilegiis ornatum; quod in Suburbano eorumdem, ſub ipſo oppido, ex capitali morbo convaluiſſet. Unde locum Tiberianæ Villæ non in montibus ſed in campis Prænestæ proximis aſſignare debemus. Quam, non aliam ab Auguſti villa, cujus ex aſſe hæres Tiberius fuit, merito credimus. Ac forte ſitum ejus ex parte hodierna Barberinorum Principum villa occupat; quam ambulacrorum ſatis hinc atque hinc proceris arboribus, umbraculis circumſeptam videre eſt, ipſo ſub oppido, in agrorum planicie. Contigit enim ſæpiſſime, ut poſteri villas iiſdem extruerent in locis, in quibus Veteres Prætoria ſua ædificaverant. tum cœli ſolique amœna & ſalubri regione allecti, quam veteres experimento probaverant; tum etiam maceriarum, ruderum ac fundamentorum jactorum jam, ut commodis uterentur; impendioque novo faciendo parcerent; præcipue cum aquarum fere ſemper ductibus, fontibuſque, Antiquorum villæ abundaverint; in quibus

vil-

villarum ipſarum vita ac ſpiritus quodammodo ſtare videtur. Tiberianam eamdem ſive Auguſtanam Prænestinam villam frequentaſſe Marcum Antoninum Philoſophum Imperatorem, ſcimus; referente in ejus Vita Capitolino, Imperatorem hunc ſub ipſis profectionis Germanicæ diebus in ſeceſſu Prænestino agentem ruri ſuo, filium nomine *Verum Cæſarem*, ex ſecto ſub aure tubere ſeptennem amiſiſſe; quem non plus quinque diebus luxit; conſolatuſque etiam medicos, ſeſe Reipublicæ adminiſtrandæ confeſtim reddidit. Poſt Tiberiana vero tempora, intervallo tamen haud ita modico, ſcilicet ſub Domitiano frequentatam Prænestinam ruſticationem, per æſtatem quidem ſemper, hæc Statii carmina oſtendunt: 4.

4. *Lib. 4. Silv. ad Marcell.*

Ardua jam denſæ rareſcunt mœnia Romæ;
Hos Præneſte ſacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit umbra.
Tiburis hi lucos Anienaque frigora captant.
Te quoque clamoſæ quænam plaga mitior Urbi
Subtrahit? æſtivos quo decipis aere ſoles?

Quod & Martialis & Florus & Juvenalis confirmant. Martialis enim inter ſuburbanos ſeceſſus, quos in deliciis ſua ætate fuiſſe, aſſerit, Prænestinos minime omiſit. unde in eleganti illo, de Formiani litoris deliciis, Carmine, cecinit: 5.

5. *L. 10. ep. mihi 18.*

O temperatæ dulce Formiæ litus!
Vos, cum ſeveri fugit Oppidum Martis,
Et inquietas feſſus exuit curas

Apol-

Apollinaris, omnibus locis præfert.
Non ille ſanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tuſculanos, Algidoſve ſeceſſus,
Præneſte nec ſic, Antiumve miratur.

Florus autem, qui ſub Trajano floruiſſe, & ad Hadriani uſque tempora perveniſſe traditur, luculentum illud ac celeberrimum, de Præneſtino per æſtatem ſeceſſu Romanis uſitato, protulit teſtimonium: 6. *Tibur nunc Suburbanum, & Æſtivæ Præneſte Deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur.* At Juvenalis plures ſignificans Præneſte ſuo tempore ſolitos ſecedere, ocii, privatæque vitæ ſtudio non minus, quam vitandorum, quæ in Urbe frequentiſſima erant, periculorum damnorumque cauſſa; ex Umbricii amici perſona, Romam Cumis mutantis, ait: 7.

6 L. 1. C. 11.

7. Sat. 3.

Quis timet, aut timuit gelida Præneſte ruinam?
Aut poſitis nemoroſa inter juga Volſiniis; aut
Simplicibus Gabiis; aut prona Tiburis arce?

Aulus quoque Gellius, Hadriani ævo, habebat Præneſte villam, in qua, veſpertina ambulatione ſolus obambulans, conſiderare ſolebat, qualis quantaque eſſet quarumdam particularum in Latina oratione varietas; quod ipſe memoriæ prodidit. 8. Inter Præneſtinas autem celebres villas maxime omnium, quamvis obiter, ab ipſo Poeta Juvenali celebratur Centronii villa, quam ſupra ipſum Fortunæ templum poſitam tradunt; & ex Juvenali pariter erui poſſe id, non immerito exiſtimant. Siquidem

8. *Noct. Attic. l. 11. c. 13.*

carpens Satyricus pravam filiorum inſtitutionem, quam ævo ſuo parentes habebant; deque parentum ipſorum peſſimo plerumque exemplo illam procedere comprobaturus, inquit: 9.

9. Satyr. 14.

Ædificator erat Centronius; & modo curvo
Litore Cajetæ, ſumma nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem.
Ut Spado vincebat Capitolia noſtra Poſides.
Dum ſic ergo habitat Centronius, imminuit rem,
Fregit opes. nec parva tamen menſura relictæ
Partis erat; totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.

Hanc magnificentiſſimam fuiſſe recitatis de verſibus liquet. num tamen loca, quæ in agro Tiburtino, quæque in Tuſculano ſubſtructionibus vaſtiſſimis adhuc remanentibus, vulgo dicuntur *Il Centrone*, aut numero multitudinis, *Li Centroni*, Centroniorum iſtorum patris filiive villæ fuerint, ſuis locis in hoc Opere opportune diſquiritur. Contra hanc Prænestinam Centronii, ſtatuunt Kircherus & Suareſius, Symmachi Conſulis, ſub Theodoſio celebris, villam pariter Prænestinam. Certe hic ſuis in epiſtolis multus eſt in Prænestino commendando receſſu, per æſtatem præcipue; ait enim ad Decium, qui illum ad Bajanas ſive Formianas, æſtivas delicias litoreas, in Campaniam invitaverat: 10. *Animum meum Campani litoris commemoratione*

10. L. 7. ep. 35.

ſol-

ſollicitas; ſed nobis in Prænestino rure degentibus non minus ſuppetit voluptatum; ſint licet plures hominum ſententiæ, quæ maritimis montana poſtponant. Ego tamen vitandis æſtibus magis judico nemoroſa, quam cultu aperta congruere. Et Eutropio ſcribens: *Cum tu*, inquit, *Romam, commodum, repetis, ego me in ſeceſſu ante Urbano adſerui lectioni. Diu quippe ab hoc negocio, cura obſtrepente, deſidimus. Nunc vero tu abes, pars antiqua amicorum meorum. Vicem ſermonis tui Veterum ſcripta funguntur. Haud olim tamen Urbem* 11. *rure mutaveram, ut æſtas mihi Prænestino algido frangeretur.* Una vero cum parentibus in hocce ſuo Prænestino diverſatum æſtate, Symmachus idem epiſtola libri noni ſeptuageſima octava ſignificavit: *Ruri cum parentibus ociabar, ut algore Prænestini diverſorii flagrantiam torridæ æſtatis excluderem. Eo me loci repererunt litteræ tuæ.* & poſt nonnulla: *Diis auctoribus*, inquit, *Bonæque Fortunæ conſervationis tuæ gratiam retuli.* Quibus ex verbis ad Symmachi uſque ætatem Fortunæ cultum Prænestæ perduraſſe, fortaſſe quis colligat. De Cilone Præfecto Urbis, ſub Imperatore Severo, quod Fundum habuerit in Prænestino *Fundum Cilonis* nominatum, quem Conſtantinus poſtea Beato Silveſtro donavit, ubi de Agro Prænestino ageremus, ſignificavimus. In eo Cilonis pariter villam fuiſſe, non dubitandum. Villam quoque Noricæ Familiæ, num Prænestinæ? fuiſſe in Prænestino agro innuere videtur lapis ibi repertus, at in Hortis Palumbariis a Fabretto lectus 12.

11. *Ep.* 50. *l.* 3.

12. *Fab. inſcript. c.* 2. *p.* 77.

GENIO
NORICORVM
L. IVLIVS . BASSVS
STATIONARIVS . EORVM

In quo vox *Stationarius* pro eadem ac *hoſpes* reputatur a Fabretto, ut, ſcilicet Lucius Julius Baſſus, poſtquam in Prænestina Noricorum villa ſalubre ſibi expertus fuiſſet hoſpitium, Genio eorum aram, ſive quid ſimile ſacrum, dedicaverit. Ad quam firmandam aliquatenus interpretationem, 13. *L.* 3. Ciceronem adducit ſcribentem ad Atticum: 13. *Athenis ſtatio mea nunc placet*. ita Fabrettus. Poſt quem, aliter quoque interpretari lapidem nos poſſe non male, exiſtimo. ſic nempe, ut in ea villa ſive Prætorio, Cæſarum fortaſſe, militum Noricorum, ex Norica plaga ſive regione Septemtrionali adductorum, ſtatio fuerit, præſidii cauſſa; & Julius Baſſus miles fuerit eorum *Stationarius*, ſcilicet ſtationem atque excubias per vices agens. Quam tamen opinionem innuiſſe tantum, ſit ſatis; nihil enim decidimus hac ſuper re. Quinti Canuſii prædia, in Prænestino, & villam pariter, de ſepulcro ibidem extructo cognoſcimus. Cum juxta Veterum Latinorum morem in prædiis ac villarum ambitu ad Conſularium Viarum exitus ſepulcra ſta- 14. *Fabret. c.* 1. *f.* 13. tuerentur. Sepulcralis itaque lapis ſic habuit 14.

Q. CANVSIVS
PRAENESTINVS
MACERIAM . ET . OL
LARIA . LIBERTIS
LIBERTABVSQVE
SVIS . FECIT

Fuit

Fuit præterea in agro Prænestino, Anagniam versus, villa sumtuosi certe operis, ut ex adhuc extantibus ruderibus apparet. Cujus tamen domini, incertum, cum muta omnia & cæca, nullo argumento, herum vel innuant minimum. Notatur ejusdem locus, exhibenturque rudera ab Eschinardo, & Ameto in Tabulis Latium, Romanumque Agrum, delineantibus; vocaturque *Villa Magna*. Num ipsa Imperatorum Romanorum, Augusti, Tiberii, ceterorum deinceps, Prænestina fuit villa, de qua Latini Scriptores memorati a nobis hactenus meminere? Verum Prænestina Tiberii villa sub ipso Prænestino oppido fuisse traditur. at Villa Magna, de qua nunc, longe multum ab eodem sita videtur. Num villa Pompeji Magni? qui *Magnus* fere semper sine addito a Lucano nominatur? Ceterum cum Prænestini agri pars nulla, quæ quidem in planicie, cultura olim destituta fuerit; omnis proinde Prænestinorum, ac Romanorum prædiis, fundis, Prætoriis, & villis, frequentissima fuit. Ex earum miserabili clade superstites aliquot, plerumque sepulcrales, lapides, quos Suaresius, aliique, recensuerunt, hic nos quoque proferemus. Neque tamen locum, ubi effossi primo fuerunt, indicabimus; cum sæpe translati, primæ eorum sedis nos minime certos reddant. Ecce illos

I.

C. MESSIENVS . TROPHIMVS
C. MESSIENVS . ROMANVS
C. . . . . S. EM. FILIVS

C. MES-

C. MESSIENVS . C. L. LICINVS
MESSIENA . ROMANA

II.

L. SALVIVS . ANTIGONVS
CORNIFICIA . L. L. SELENIVM
L. CORNIFICIVS . APTVS
OPPIA . Ↄ. L VRBANA
BILLIENA . Ↄ. L. TERTIA
COSENTANVS . HILARVS
CORNIFICIA . DAPHNE
V. S. A. HILARVS

III.

PLOTINA . L. L. COMPSE
PLOTINVS . L. L. IACCVS
PLOTINA L. L. RVFA
PLOTINVS . V. L. ALAVGV

IV.

DIS MANIBVS . ET
C. TERENTI . ANECLESI
TERENTIA . GENESIS
TATA . FECIT

V.

CAESARII .
COS.

VI.

D. M.
AVRELIVS . VITALIO . HANC
MEMORIAM . CVM . SOLARIO
ET . CVVICVLO . A. SOLO . FECIT
SIBI . ET AELIAE . SOFIADI . CONIVGI
SVAE . ET . FILIS . SVIS . ET . AVRELIO
MERCVRIO . FRATRI . SVO . CVM
SVIS . ET . VLPIO . SECVNDINO
COGNATO . MEO
CVM . FILIS . SVIS . MEIS . FRATRIBVS

ET .

ET . LIBERTIS . PATER
NIS . ET . LIBERTABVSQVE
SET. ET . MEIS . POSTERISQVE OMNIVM
* AEORVM ET . QVIBVS . ME . VIVO . LOCA
DONAVI . IVVEO ITVM . AMVITVM
VNIVERSOS . ABERE . ET . HOC . PETO
AECO . SYNCRA
TIVS . A. BOBIS . VNIBERSIS
SODALIS . VT . SENE . BILE
REFRIGERETIS
SYNCRATIORVM.

* *Sic in omnibus omnino. Ex Fabretti recenſione Inſcript. p. 102. cap. 2. n. 238.*

VII.

D. M.
T. POPILIO . MI. LIB
EPITYNCHA
IIIIII. VIR. AVG
BANAVSVS . LIB. ET . HER
SIBI . LIB. LIBERTABVS . POST
EORVM . OSSA . HIC . BENE . QVIESC

VIII.

DIIS . MANIBVS
L. IVNIVS . L. F. PALA
TINA . OGVLNIVS
MIL. LEG. II. PARTH
MIL. ANN. XIIX.
VIX. ANN. XXXXVI
H. F. C.

IX.

P. PEDANIVS . SP. F
SATVRNINVS
PATRI

X.

CAIO . VALERIO . L. F
QVIR. FLORINO
PRAEF. COH. II. THRAC

SY-

SYRIACAE
TRIB. MIL. LEG. VII
CLAVD. PIAE . FID
PATRI . OPT
B. M
PROCVLVS

XI.

DIS . MANIBVS . S
T. FLAVIVS . T. F. PONT
SABINVS

XII.

M. ABENNA . M. L. PRINCEPS
TESTAMENTO . FIERI . IVSSIT . SIBI . ET
M. ABENNAE SABINAEO . PATRI
ABENNIAE . M. L. FLORAE . MATRI
M. ABENNAE . M. L. FAVSTO . LIBER
L. ABENNAE . M. L. HEIMO . LIBER

XIII.

L. POPILLI . SEX. MEI

XIV.

SEX . NAEVIVS
SEX . L. PHILEMO
NAEVIA . SEX . L
TVSCVLA
IN . F. P. XV
IN . AG. P. XIX

XV.

MANILIAE . LVCILLAE . C. F
MATRI . PIISSIMAE . ET . INCOMPARABILI
CAESONIVS . LVCILLVS
V. C
FILIVS
VIX. ANN. LXVI. M
VII. D. VIII. HOR
VIIII
H. S. E

XVI.

XVI.

P. AEL. P. F. PAL
TIRONI
SALIO . ARCIS
ALBANAE . QVEM . IMP. CAES
ANTONINVS
AVG. PIVS
GERM. SARM. BRIT
AGENTEM . AETATIS
ANNVM XIIII
MILITIA PRIMA
PRAEFECTVRAE
EQVIT. BRAVCO
NVM. EXORNARI
DIGNATVS . EST
DEC. DEC.
BLANDVS . PATER
PRO . AMORE . CIVI
TATIS . SVMMAM . ET
SVMPTVM OMNEM
. . . . . .

XVII.

Q. VETTIVS . PVLCHER

XVIII.

FLAVIAE SABINAE
CAESENNI . F

XVIIII.

M. ANTENNIO
L. F. SEVERO
L. M. ANTENNI
SABINI . TRIB
COH. III. PR. ET
FLAVIAE . T. F
PROCILLAE
FILIO
T. FLAVIVS
GERMANVS
NEPOTI SVO

XX.

IMP. CAE
ANTO
GERMANICO
DIVI . COM
DIVI ANTO
DIVI HADR
DIVI TRAIAN

XXI.

P. FLAVIVS . P. L. HI
FLAVIA . P. L. V. T
P. FLAVIVS . P. L. P. V.

XXII.

. . . . . INAE
. . . . . RANNI
FILIAE . OPTIMAE
MERITAE PRAENEST
D.

XXIII.

D. M.
ET M. M. M. VLPI. HELIADI
FECERVNT . M. VLPIVS
PRAENESTINVS
AELIA . HELIAS FILIO
DVLCISSIMO
V. AN. I. M. II. D. XXIV

XXIV.

RVF
LEG.
LEG
DEIOTAR

XXV.

* *Via Prænestina. Vidit Lipsius. Gruter. p. 548. 8.*

* DIS MANIBVS
M. IVNIO CVRIONE
EQ. R. LEG. XXII. VIC
TVR. VERISSIMI . VIXIT
ANN. LVIIII. M. VII. D. III
P. IVNIVS AVSVS
H. F. C.

XXVI.

* *Via Prænestina. Ad D. Pastoris. Fabret Inscript. cap. 1. p. 57. n. 315.*

* PLAVTIAE
QVINCTILLAEAE *sic*
P. HELVIDI
PRISCI . ET
P. HELVIDI . PRISCI

XXVII.

* *In Agro Prænestino. extabat in Museo Ciampino. Fabrett. Inscription. c. 1. p. 62. n. 365.*

* D. M
C. VALERI HERMETIS
VALERIA . HERMIONE
PATRI . DVLCISSIMO

XXVIII.

* *In Sacrario S. Pastoris Via Prænestina. Fabret. c. 3. p. 137. n. 127.*

sic omnino

* AELIVS TIMOXE
NVS . MILEX. CHO
SEPTIMAE . PRAETO
RIAE . CENTVRIA
GLYCONIANA
BALERIO CRISPO
CONMANICVLA
RIO . CONDAM . MI
LITI . FECIT . VE
NEMERENTE

XXIX.

**Gennazzani oppido Prænestinorum. Fabret. p. 234. n. 617. c. 3.*

* D . M
C. VIBIVS . C. F. CELER
VIX. ANN. IIII. MENSB XI
FRVM. AC . VII. OSTIO . XV
VIBIVS CELER. F. SVO

XXX.

XXX.

* AVRELIAE A
NATOLE SAN
CTISSIMAE
ADQ. CASTIS
SIMAE . FEMI
NAE . CVM QVA
VIXIT . ANNIS
XXXII. MENSI
BVS . X. DIE . I SED
ET . SIBI . PHOSPH
ORVS . AVGVST . .
. . . . . .

* *Olibani item Oppido Prænestinor. . abret. c. 4. p. 25 n. 48 In Arca Marmorea.*

XXXI.

* ALCIMVS
NERONIS CAESARIS
AVG. SERVOS . A
VESTE CASTRENSI
VIX. ANN. XXX

CLAVDIA
DOCILE
FECIT SIBI . ET
CONTVBERNALI
SVO

* *In Agro Prænestino . Fabret. p. 317. n. 409.*

XXXII.

* D . M
CL. DINOVIANI . QVEM . BIS . QVINOS
DVCENTEM . LVMINIS . ANNOS
PIVS . PARENTIBVS . APSTVLIT . ATRA
DIES . ET . ACERVO . FVNERE . MERSIT
VII. IDVS . AVG. BITALIS . SO
ROR BIXIT . DIES XXX CL. FELICIS
SIMVS . EX . PETITIONE . MEMORI
AE . PATER . FILIIS B. M. F

* *Prænestæ ap. Gordianum Corazzam ex schedis Barberin. Fabret. p. 190. c. 3. n. 442.*

XXXIII.

* M. VLPIVS . AVG. LIB
EVPHROSINVS
A VESTE VENATORIA

* *Fabrett. p. 371. n. 150. Ex schedis Barberinis.*

XXXIV.

* HAVE . DVLCIS
POPILIA . ALEXANDRIA . RARISSIMA
FEMINA . A. XXXV. HIC . SITA . EST
M. VLPIVS INGENVVS . B. M. ET . SIBI
DVLCIS . VALE
QVID . LACRIMAS . FACTVM . EST
VIR . BONE . VIVE . VALE
SED TIBI INVIDEO PIO . QVI
OSSVCVLA . MEA . HIC . SITA . ESSE
GEMIS . MORTE . TARDA . VIVAS
AEGER . INOPS

* *Ex ſchedis Barberinis. id. p. 420. n. 381.*

XXXV.

* D . M
M. VLPIO . AVG. LIB
ABASCANTO . QVI . FVIT
CVSTOS . A. COMMENTARIS
BENEFICIORVM . FECIT
FLAVIA . PALLAS . CONIVGI
B. M. ET . CAECILIVS . ARTEMIDORVS
FILIVS . EIVS . SIBI . ET . SVIS . LIBERTIS
LIBERTABVSQVE . POSTERISQVE
EORVM

* *Gennazzani in Agro Prænestino, ex ſchedis Cameli, ſuppleta ea, quæ apud Sponium mutila exhibetur in Miſcellan. p. 208. Fabret. inſcript. pag. 720. n. 416.*

CAPUT X.

De Prænestinis Familiis Romæ illuſtribus, Deque Claris Viris Prænestinis.

ÆCILIAM Gentem atque Familias, in quas diſtributa fuit, Romæ illuſtriſſimas, ac rerum geſtarum gloria celeberrimas, Prænestinas origine fuiſſe, ii tradunt, qui a Cæculo Cæciliam Gentem deducunt. Siquidem Prænestinæ Fundator urbis Cæculus a pluribus, poſt Virgilium, aſſeri-

ritur. Cum tamen Cæciliæ Gentis Cæcadem Trojanum Æneæ ſocium, in Italiam cum illo appulſum, primum auctorem multi aſſignent; hinc, ut incertum, ad Prænestinos nec ne gens eadem origine ſpectaverit, pluribus explicare omittemus. Præcipue cum Gens alia multo nobiliſſima, ac rerum geſtarum fama clariſſima in ætates omnes, Prænestina origine certo exorta, commemoranda longo ordine ſeſe offerat. Anicia hæc eſt, quam ſuam urbes plurimæ eſſe merito contendunt; cum & ſola celeberrimam earum quamlibet reddere valeat, & locis quamplurimis ac familiis diſperſa partem ſui revera pluribus urbibus attribuerit. Primam, nihilominus, ejus originem, Roma ipſa Prænestinæ urbi debere ſe fateatur, neceſſe eſt. Siquidem Urbis Conditæ quadringenteſimo quadrageſimo tertio memorant, *Quintum Anicium Prænestinum*, e primoribus inter ſuos Latinoſque univerſos, a Romanis hoſtem Reipublicæ judicatum fuiſſe. Fœderibus exinde utrinque compoſitis, civitate Anicius donatus eſt. Quæſtor idem militaris creatus M. Fabio & C. Marcio Coſs. Tribunus deinde plebis V. C. CCCCXLVI. triennio poſt Ædilis Curulis; ac denique, alterum poſt triennium, Tribunus Plebis iterum eſt renunciatus. Unde Anicia Gens, Plebeja origine, Romæ fuit; verum, ut ajebam, ſummis in omnes ætates honoribus aucta. Fuit enim inter Urbis familias illuſtriſſima, plurimas in ſtirpes diviſa; quarum præcipue fuere, Paullini, Fauſti, Julia-

liani, Petronii, Tertulli, Cereales, Galli, Maximi, Probini, Probi, Hermogeniani, Baſſi, Severini ſive Boethii, ut aliquibus placet, Olybrii, Frangepanes, Petrileonis, Columnenſes, aliique ferme ſine numero. Aucta Gens eadem memoratur Conſulatibus ultra quadraginta, Proconſulatibus, Præfectis Prætorio, Proprætoribus, Ædilibus Curulibus, Quæſtoribus, Tribunis Militum, Tribunis Plebis ſæpe; Triumphis quoque, ſtatuiſque inter triumphantes & Cæſares collocatis; Legationibus obitis honorificentiſſimis, Patriciatus honore, Principatu denique Urbis & Imperio ipſo Romano. Senatoria etiam in Urbe Dignitate primaria, univerſumque Romanum Senatum unico Senatore repræſentante. Chriſtianis hæc, inquam, ſæculis, quibus & plures ſummos Pontifices edidit; & innumeros pene militaribus & urbanis, ſacris æque ac profanis, dignitatibus & muneribus inſignes, viros clariſſimos Orbi peperit. Tantæque fuit Gens Anicia nobilitatis, ut Imperatores Juſtinus Senior ac Juſtinianus, obſcuro ceteroquin loco nati, huic Genti ſeſe ſuoſque per adoptionem inſerere, glorioſiſſimum duxerint. Siquidem inter eorum poſteros, Tiberium Juſtini junioris adoptivum filium, Thracem genere, *Anicium Conſtantinum* ſeſe appellaſſe, certo ſcimus. Porro, quamquam neque ſingulos, neque pleroſque ex hac Gente illuſtres viros enumerare nunc vacet; aliquos tamen e præcipuis familiis, curſim ſaltem, & per ſumma capita res eorum

rum geſtas attingendo, recenſebimus. Itaque Quinti Anicii Prænestini Primi Gentis Auctoris filii creduntur Lucius & Quintus Anicii Tribuni plebis & Militares, Romana quidem vigente Republica. Floruere hinc Galli Anicii, Cn. Anicius Gallus Cnei Octavii Conſulis Legatus in Macedonia, qui Meliboea expugnata, Æginium aggreſſus eſt; & L. Anicius Gallus ſuperioris frater, qui L. Æmilio Paullo, & C. Licinio Craſſo Coſſ. Prætor Peregrinus factus, paullo poſt contra Gentium Illyrici regem expeditione ſuſcepta, ipſum nobili pugna intra menſem devictum, cum uxore, liberis, & propinquis plurimiſque captivis Romam miſit. tum Scordæ, quæ Regia fuerat urbs, præſidio impoſito, Gabinum ejus præſidem creavit; ipſe in Epirum profectus, gentes atque urbes plurimas Romanæ ditionis fecit, præſidiis ubique impoſitis. Scordam tamen paullo poſt reverſus, quo Legati quinque ab Roma venerant, Illyricorum e tota Provincia Conventum habuit. in eoque conventu, pro tribunali ipſe ſedens, pronunciavit, jubere Senatum Populumque Romanum Illyrios liberos eſſe; deducturum ſe ex omnibus oppidis arcibus caſtelliſque præſidia; quod ad Romanos Illyrii promte tranſiſſent. Privilegiis quoque auctos tres in partes diviſit. Quibus, omnium aſſenſu & vehementi approbatione, peractis, ad hiberna iterum in Epirum conceſſit. In Urbem poſtea claſſe reverſum cum Cn. Octavio, tantus illum ob præclare geſta populi plau-

plauſus excepit, ut ab Senatu Populoque ipſo Romano triumphus eidem decerneretur. Quem tanta magnificentia, pompa, tantoque ſplendore ſimul & apparatu egit; ut ad eam diem nullus huic triumpho ſimiliter peractus apud hominum memoriam foret. Præter enim glorioſa militum triumphum comitantium carmina, Ducis res geſtas, ipſumque Ducem ſummis laudibus extollentia; Senatus ipſe publice Populuſque, in ordines quiſque ſuos digeſtus, triumphum ſpectavit. Exterarum quoque gentium innumeræ, cum aliquot regibus, Attalo præcipue atque Eumene, Aſiæ Pruſiæ ac Bithiniæ. Ipſe, triumphalem ante currum, Gentium regem Illyrici captum vinctumque cum fratre & filiis duxit. convocatis ad pompam ornandam, ludoſque ac ſpectacula cetera exhibenda, ſcænicis e tota Græcia artificibus. Quæ [1] multis memoraverunt Athenæus, Polybius, aliique. Haud ita multo poſt triumphum, Conſul Anicius eſt renunciatus cum M. Cornelio; ut fuſe Livius [2], Florus, Appianus in Illyricis, Plutarchus in Paullo, Vellejus, Eutropius, ceteri.

1. *Dypnoſoph. L. 14. c. 13. Polyb. L. 30.*

2. *Dec. 5. L. 4. & 5. Flor. L. 2. c. 13. Vell. L. 2. Eutrop. L. 5.*

Claruere quoque ex Anicia Gente Cereales, Anicio Cereale Conſule ſuffecto ſub Tiberio, alteroque Anicio, qui ſub Antonino & Geta Conſul fuit. Ex hoc exortum deinde perhibent, Neratium Anicium Cerealem, qui bis ad Præfecturam Urbis evectus eſt. Num vero ex Anicia Gente Cerealis fuerit qui ſub Adriano pariter Urbis Præfectus, ſive Vi-

Vicarius dicitur in Actis Divæ Sympheruſæ Tiburtinæ Matronæ inclytæ & filiorum; quique ab Getulio-Zotico Sympheruſæ conjuge ſanctiſſimo ad Chriſti ſigna traductus, glorioſum illi, contemta morte, teſtimonium tulit, aſſeverare non auſim. Paullini vero Anicii Anicium Paullinum numerant Conſulem ſuffectum, & Imperatori Probo Collegam; alterum item Anicium Fauſtum Paullinum Conſulem; tertium, qui ter Urbis Præfectus fuit; quartum tandem, quem Conſulem dicunt, & Proconſulem Aſiæ & Helleſponti, Præfectumque Urbis; qui ſtatuam inter triumphantes Cæſares ſibi collocari promeruit; unde triumphaſſe illum, auctores multi merito exiſtimaverunt. Petronii autem Anicii Petronio illo Anicio Sabino Turpiliano gloriantur, qui Neronis beneficio triumphalia ornamenta eſt adeptus, 3. Tacito memorante: ſub eodem quoque Nerone Petronius idem bis Conſul fuit; quo in munere ſub Galba denuo ſuffectus eſt. gloriantur item Petronii Anicii Sexto Petronio Probo, qui a Valeriano Conſul eſt factus; Proconſul deinde Africæ & Præfectus Prætorio quater eſt renunciatus. Hujus filii Anicius Probinus Conſul, Anicius Hermogenianus Olybrius pariter Conſul, & Anicius Probus Quæſturæ Candidatus fuere. Ceterum, tanta fuit Sexti Anicii Petronii horum patris potentia, tantæ opes fuere, ut per univerſum pene Romanum Imperium patrimonia poſſederit. quodque magis multo faciendum eſt; tanta

3. *Lib.* 12.

ipſe præditus fuit ſapientia, ut ad eam propius hauriendam contemplandamque, ſapientes ex ultimis uſque Perſarum finibus viri Bizantium contenderint. Cujus etiam ſumma in Sanctorum Chriſti Baſilicis precioſiſſime ornandis mire effulſit munificentia. Hinc Olybrii & Hermogeniani Anicii defluxere, qui Præfecturam Urbis ter, ter Conſulatum ad Theodorici Italiæ regis obitum uſque, adminiſtravere; & Africæ Proconſulatum, Præfecturamque Prætorii in Oriente aſſecuti ſunt. Hinc etiam Probini, quorum germen Sex. Anicius, qui cum fratre Hermogeniano Conſul eſt factus. quod jam ſupra commemoravimus. At ex Fauſtis Aniciis illuſtris traditur Anicius Fauſtus Præfectus Urbis ſub Diocletiano. Cujus nobiliſſimus ſucceſſor Anicius Fauſtus Glabrio in Aciliam adoptatus Præfectus Urbis & Conſul (Baſſum alii, alii Julianum cognominarunt) qui primus e Romanis Conſulibus Chriſti militiæ nomen dediſſe perhibetur; quemadmodum ex Romanis Imperatoribus Conſtantinus; quamquam non deſint Hiſtorici, qui Philippos duos, patrem & filium, Romanos Imperatores Chriſtianis ſacris imbutos fuiſſe, commemoraverint.

Inter Julianos Anicios Julianus Anicius ſub Conſtantio bis Conſul & quater Urbis Præfectus. Inter Maximos Anicius ille Maximus ſub Conſtantio pariter & Juliano Auguſtis bis Præfectus Urbis, & ſub Juſtino ſeniore Conſul. Inter Baſſos Anicius

Baſ-

Baſſus ſub Arcadio & Honorio Conſul, iterumque ſub Theodoſio & Valentiniano. & inter Severinos ſeu Boethios glorioſiſſimus ille Anicius Manlius Severinus Boethius Philoſophorum ſuæ ætatis facile Princeps, qui poſtquam ſub Theodorico bis Conſulatu functus fuiſſet, initæ ſeu meditatæ conjurationis in Regem falſo accuſatus, ejus obtentu, revera in Chriſtianæ Rectæ Fidei odium, quam Arianus Theodoricus inſectabatur, indigniſſime, ab impiis, ut ipſe, vel abſciſſo capite, miraculo teſtatus eſt, indigniſſime inquam ſublatus fuit. Cujus tamen & Romani Pontificis Joannis, aliorumque ex Chriſtianis primoribus, injuſtiſſime interfectorum, pœnas Rex impius præſentiſſimas dedit; repentina, ſuper menſam, morte correptus; & in Ollam Liparitanam, ignem ſcilicet in Liparea inſula erumpentem, ab Divinæ Ultionis miniſtris conjectus eſt; eodem Joanne veluti præſide adſtante. quod in 4 Dialogorum precioſiſſimo Opere Magnus recenſuit Gregorius, ex Anicia ſtirpe ipſe quoque cum ſuis exortus, ut perhibent. Tertulli tamen Anicii ceteros, qui Chriſtianis ſæculis floruerunt, rerum geſtarum gloria ſupereminere viſi ſunt. Non modo enim hi Urbis Præfecturam ter, & Conſulatum adepti ſunt; verum etiam gentem ſive familiam nobiliſſimam Gordianorum ſive Petri-Leonis cognominatam ipſi produxere. Ex qua Frangepanes quoque ortum ducere, memoriæ proditum eſt. Etenim Flavius Anicius Magnus *Petrus-Leo* dictus

4. *Lib.* 3. *c.* 2.

Gordianum genuit, qui Senatoriam & Patriciatus in Urbe ſummam tunc dignitatem adeptus eſt. Hunc, erumpente Tiberi ob incredibilem aquarum copiam, totamque inundante Urbem, egenis incluſiſque civibus panem affatim de ſuo diſtribuiſſe, commemorant; glorioſum unde nomen ſibi ac ſuis poſteris *Frangepanem* proprium perpetuumque lucratus eſt. quemadmodum de nobiliſſima pariter Ciborum gente factum accepimus. Hic itaque PetrusLeo Frangepanes & PetriLeones produxit, qui Aventini & Palatini Montium Comites ſunt appellati; plurimiſque domi foriſque in ſago & toga dignitatibus claruerunt; quarum ſeries & hiſtoria apud nullos nobilium Italicarum familiarum Scriptores non ſtatim occurrat. Quare iis in præſens, ne longe nimis a Prænestina Urbe abducamur, omiſſis; id tantum commemorabo; Auſtriacam Gentem Occidentalium Regionum Romani Imperii jamdiu dominam glorioſiſſimam, ex Anicia Gente, per PetriLeonis ſive Frangepanes familiam exortam, a pluribus non inani narratione perhiberi. Ajunt enim, qui Familiarum iſtarum originem inveſtigarunt, ſeriemque contexuerunt, hiſtorici; ex PetroLeonis Maximo Albertum illum exortum, qui cum fratre ſub Paſchale Secundo Romano Pontifice Urbe profugus in Germaniam delatus, Auſtriæ nobiliſſimam duxit uxorem, Caſtrumque Avemburgum, incolis *Auſpurgh* exædificavit; unde Auſpurgenſes Comites atque Auſtriæ Archiduces,

ces, quos appellarunt; ex quibus tot Romanorum Imperatores prodierunt. Quorum ſeries, geſtæque res glorioſiſſimæ tot Hiſtoricorum labor fuere atque adeo ſunt. Quamquam aliis hæc Auſtriacæ Gentis origo minime probata fuerit; illam ab Germaniæ viris principibus ac regibus longa ſerie deducentibus. Ceterum pro alterutra nunc parte ſententiam ferre, non eſt in animo; illud tantum animadvertimus, non minus Glorioſiſſimæ hujus Gentis illuſtrem claramque originem, quæ ab Anîcia gente deducitur, futuram fuiſſe, quam quæ ab Germanis principibus regibuſque deducta eſt. Anicii enim Romanorum illorum ſunt ſanguis, qui Regibus olim pene univerſis imperitarunt, vinctoſque eorum plurimos in triumphum captivos ante currum triumphali pompa duxerunt; quique Regibus pro libito regna, auferebant, dividebant, vel deſtinabant; eo prorſus pacto, quo paterfamilias filiis ſuis patrimonium & hæreditatem dividere ſolet. Cui gloriæ ſimilem, in alia ab Aniciorum origine, non invenio. Verum hæc hactenus.

Porro infinitus eſſem, ſi Aniciorum, quæ memorantur illuſtria decora, velim per ſingula recenſere; viroſque ex hac Gente rerum geſtarum fama, & ſanctitatis vera laude, quod caput eſt, apud Chriſtianos illuſtres, enumerare. Ex hac enim Gente ſanctiſſimi Romani Pontifices Gregorius Magnus Anicii Gordiani filius & Felix tertius ejus atavus numerantur; Glorioſiſſimus Benedictus Nurſinus

Re-

Religioſæ vitæ apud Occidentis Solis regiones vel Inſtitutor, vel certe Reſtitutor, Sanctorum virorum ac feminarum Pater & Religioſorum Ordinum fœcundiſſimus; Gemellique velut ipſius primogeniti Maurus & Placidus ex Tertullis Aniciis exorti. aliique quamplurimi. Ceterum, Columnenſes, inter Romanos Regulos potiſſimo ſemper loco habiti, Anicia merito gloriantur origine; hoſque ad Prænestinum illum Anicium magis quam ceteros pertinere dicemus merito, ſi diuturniſſimum Prænestinæ Urbis dominatum apud hanc generoſiſſimam Gentem manſiſſe, memoriæ recoluerimus. Quare & a juniore Mario eoſdem originem ducere, prodiderunt alii, eadem forte conjectura ducti; quod Marius, Prænestе belli ſede adverſus æmulum Syllam conſtituta, ibidem fato defunctus fuerit; unde Columnenſes glorioſi plurimum facti ſunt. Porro Aniciæ Gentis fama atque opinio tantum ſemper apud poſteros in ſingulas ætates valuit; ejuſque ſplendor effulſit; ut nobilioribus paullo familiis quibuſcumque Aniciam originem ſibi depoſcere, jamdiu familiariſſimum fuerit. Adeo ut (ridiculum quid non abs re addere mihi liceat, ab Lectoribus meis peto) fatuellus quidam apud noſtros nobiliſſimus, qui hoc potiſſimum ſtultitiæ genere laborabat, ut originem ſuam nobiliſſimam ac generoſiſſimam crederet, ac venditaret, nil vetuſtius, glorioſius nihil, in hoc genere proponere, non fatue forte, crediderit; quam ſi ſe ex Anicia Gente

te ortum paſſim jactitaret. Quæ tamen hucuſque nos curſim commemoraſſe, ſatis eſto; cum Chriſtianorum ſæculorum hiſtoriæ potius hæc materies foret; nobis idcirco antiqua tantum profana ſcrutantibus non perſequenda.

Jam vero, præter Prænestinos Anicios, aliis Prænestina urbs viris eſt nobilitata clariſſimis. Illorum multos in eorum ſtatuis, ſtatuæque inſcriptis titulis recenſendis, hoc ipſo Libro jam recenſuimus, neque eoſdem rurſum hic ſupervacue commemorare opportunum. Cæculum dico urbis fundatorem; Herilum regem trium animarum, ut fabulæ; Numerium Prænestinarum Sortium inventorem; Trophimum, Evariſtum, & Voeſium urbis ac Reipublicæ Curatores; Agilium Pantomimum; Caſilini Præſidiarios, & Manitium eorum Prætorem ſive Tribunum, fortiſſimos ac fideliſſimos milites; Cajum Valerium Serapii ædificatorem; Centronium fortaſſe, & reliquos; quorum toto libro ſparſim mentio facta eſt. At de Lucio Attilio Prænestino, qui Terentianas Comœdias aliquot egiſſe, & in illis modos feciſſe traditur, hæc in vetuſto Codice Vaticano Terentii, in membranis, habentur. Ad Phormionis calcem: *Acta Ludis Romanis* L. POSTVMIO. ALBINO. L. CORNELIO MERVLA. *Ædilibus Curulibus. Egere L. Ambibius Turpio L. Attilius Prænestinus. modos fecit Flaccus Claudii tibiis imparibus. tota Græca. facta* IIII. *C. Fannio. M. Valerio Coſſ.* Initio Comœdiæ, quæ inſcribitur *Adelphi*, ſic

ſic pariter : *Egere L. Attilius Prænestinus* : cetera. Initio Heautontimorumenu *L. Attilius Prænestinus modos fecit . acta* III. *M. Junio . T. Sempronio . Coss.* Initio Eunuchi post alia : *L. Attilius Prænestinus egere. M. Valerio . C. Fannio Coss.* Ex quibus habes Lucium Attilium Prænestinum comœdum, sive Histrionem Mimum aut Pantomium egregium fuisse, nec non Musicum, immo potius Musicorum modorum factorem, ut ait Codex, nobis : *Compositor di Musica, Maestro di Cappella ;* eumque Terentii æqualem, Terentianis summæ æstimationis Comœdiis, utpote quæ ab Scipione & Lelio simul cum Terentio collatis studiis componi credebantur, agendis adhibitum .

Multis post hunc sæculis Ælianus claruit Prænestinus vir facundus & melliti sermonis . De hoc Svidas, ex quo Vossius accepit : 5. Αἰλιανὸς ἀπὸ Πραινέστου τῆς Ἰταλίας Ἀρχιερεὺς, καὶ σοφιστὴς ὁ χρηματίσας Κλαυδίῳ ὃς ἐπεκλήθη μελίγλωσσος ἢ μελίφθογγος . καὶ ἐσοφίσευσεν ἐν Ῥώμῃ αὐτῇ ἐπὶ τῶν μετὰ Ἀδριανοῦ χρόνων . scilicet : *Ælianus ex Præneste Italiæ, Pontifex, & sapiens sive Sophista aut Philosophus, prænomine Claudius, qui cognominatus est suavis linguæ, sive suave-resonans, Romæ in Urbe ipsa floruit sapientiæ studiis usque ad Adriani tempora* . Hic ab Ricciolio nostro Pausaniæ discipulus fuisse 6. scribitur ; & quamvis ipse Romanum sese Ælianus vocet, hoc ad Græcorum discrimen dixit, quorum sermone plura conscripsit ; Variam 7. scilicet Historiam de Animalibus ; & De instruendis aciebus . ad quod opuscu-

5. *Lib. 2. Hist. Græc.*

6. *Chronic. Lit. Ac fol. mib. 189.*

7. *Polybistor. L. 12.*

ſculum præfatur ad Adrianum, ſe Nervæ ſalutandi viſendique cauſſa divertiſſe Formias apud Sextum Julium Frontinum Conſularem Virum Aquarum Curatorem ab ipſo Nerva conſtitutum; qui & De Aquæductibus perutile Commentarium nobis reliquit. Utrum autem Ælíano huic hiſtorico, an alteri, erecta fuerit ſtatua, de qua Prænestinus loquitur lapis, ambigi poteſt. Verba lapidis: 8.

8. *Suar. ex Grut. p.* 347.

L. AELIANO . L. F
AN. PROVINCIALI
EQVO . P. ORNATO
LVPERCO . DESIG
HVIC . ORDO . DECVRIONVM
STATVAM . DECREVIT
L. AELIANVS VERECVNDVS
H. V. S. R. L. D. D. D

Ambigi, inquam, poteſt num Ælíano Hiſtorico ſtatua hæc fuerit poſita, cum Hiſtorico prænomen fuerit *Claudius*, huic *Lucius* inſcribatur. at Lucius Claudius Ælianus vocari optime idem potuit, præcipue cum *Claudius* vix prænomen dici debeat, ſed potius adoptivum Gentis Claudiæ nomen, ut in Ptolemæo Geographo; & in Joſepho Hiſtorico nomen Flavii. ambigi rurſum poteſt num hæc ſtatua Ælíano Hiſtorico poſita fuerit, quod nihil de ejus ſcriptis hic memoretur. Crediderim tamen Hiſtorico poſitam. ſcripta vero non memorari vel quod omnibus eſſent notiſſima; vel quod parvi penderentur; quod Græca eſſent, ab homine præſertim Latino, quaſi injurius patrio ſermoni fuiſſet; vel de-

nique, quod alia potiora Æliani decora, quæ tunc quidem temporis ab leviſſimis hominibus ita æſtimabantur, in lapide, ſatis fuiſſet commemoraſſe. qualia erant honore Equi Publici donatum fuiſſe Ælianum, Antiſtitem eſſe Provincialem, ſive Ania Tribu, & Lupercum Deſignatum. quod ſacerdotium Romanorum nobiliſſimi exercere conſueverant. quod in M. Antonio Triumviro vehementiſſime Tullius eſt inſectatus. Hæc munera Hiſtorici Æliani voluit forte Svidas ſignificare, Pontificem illum appellando. Ceterum cui potius Æliano, quam hiſtoriarum Scriptori civi ſuo clariſſimo Prænestini merito erexiſſent ſtatuam? Ex hoc rurſum lapide colligimus Ælianorum familiam Prænestinam fuiſſe; ſiquidem Lucius hic Ælianus Lucii Æliani filius inſcribitur, & reſtituiſſe illi ſtatuam dicitur Lucius Ælianus Verecundus. Nam literas in extrema baſi H. V. S. R. L. D. D. D. ſic interpretor. *Lucius Ælianus Verecundus Hanc Voluit Statuam Reſtitui. Locus Datus Decurionum Decreto.* Collapſa enim, corrupta, aut violata aliquomodo, Æliano primum *conſtituta* ſtatua, ab Verecundo Reſtituta eſt. Varios inter Æliani Prænestini Hiſtorici Libros & ille fuit, quem ſibi lectum ab ipſo Æliano Philoſtratus in Vitis Sophiſtarum refert, conſcriptus adverſus γύννιδα *effeminatum*, ſive ut Svidas ait, μαλακὸν *mollem*, qui Romanum Imperium luxuria ſua paullo ante contaminaverat. Triſtanus, vir ceteroquin eruditiſſimus, mollem hunc Antoninum Ela-

Elagabalum perditiſſimæ libidinis juvenem fuiſſe interpretatur; oppido male; cum tempora minime congruere poſſint. Siquidem Ælianus, ut ejus ex operibus conſtat, ſub Trajano Nerva & Adriano vixit; atque ſub hoc deceſſiſſe colligitur ex Svidæ verbis. Sexaginta vero annos natus diem obiiſſe traditur. quare de Elagabalo, ut ſuperioris ſibi ætatis principe, locutus eſſe non potuit; cum Elagabalus centum & viginti poſt Nervam annos imperaverit. ſcilicet Nerva, Anno Reparati Orbis nonageſimo nono, Elagabalus decimo nono ſupra ducenteſimum. Quare melius, immo bene, Ælianum eo libro Domitiani notam libidinem fuiſſe inſectatum, dicemus, qui Nervam præceſſerat. Quæ opinio validis etiam conjecturis ſtabiliri poſſit: nempe Ælianum peramicum Dioni Pruſio, Nicoſtrati auditorem & Pauſaniæ, Herodis adminiſtratorem fuiſſe; qui omnes ſub Trajano, Adriano, & Antonino vixere. Dio autem ab Domitiano per Edictum, quo Philoſophos omnes Urbe expulerat, & ipſe actus in exilium fuit. Unde Ælianus amici vicem dolens in Domitianum, ſtylum fortaſſe acuerit. Quatuordecim Variæ Hiſtoriæ Libros ab Æliano Græce conſcriptos habemus elegantiſſime. Cujus ex Philoſtrato vitæ Breviarium, quod libris ipſis præfigi ſolet, tale eſt. Ælianus, quamvis genere Romanus, non minus eleganter tamen Græce, quam vel mediterranei Athenienſes, loquutus eſt. Et ſane laude dignus vir ille mihi videtur: primum

quod cum habitaret in Urbe, quæ ſermone prorſus diverſo utebatur, Græcæ linguæ nativam ac propriam locutionem ſit conſequutus: deinde, quod oblato ſibi ab iis, qui hujuſmodi titulos conferre ſolent, *Sophiſtæ* nomine, nullam de ſe fiduciam, aut adulationem ſui, aut ſuperbiam ex tanti nominis honore conceperit. Quin potius cum ſuas ipſe vires expendiſſet, eaſque declamatoriæ paleſtræ impares judicaſſet; ad condenda & relinquenda ſui ingenii monumenta ſe contulit, & admirationem inde conſequutus eſt. Dictio ejus ita eſt pura, ut ſimplex pariter, & minime fucata ſit; & Nicoſtrati elegantiæ quoddam condimentum adhibeat. Eſt, quando Dionem, ejuſque dicendi genus & ritum, imitatur. Hunc olim Lemnius Philoſtratus librum quemdam in manibus habentem reperit, quem indignanter & concitate lectitabat: & quum inſtituti ejus rationem quæreret, Ginnidis, h. e. Effeminati hominis accuſationem a ſe elaborari, dixit. ſic autem vocare ſe tyrannum, qui, paullo ante, Romano Imperio infamiæ labem, morum turpitudine, inuſliſſet. Cui Philoſtratus, admirarer, inquit, ſi viventem accuſaſſes. Siquidem contra viventem tyrannum aliquid moliri, viri opus cenſeo: functum vero fato laceſſere, cujuſvis. Prædicabat de ſe Ælianus, numquam ſe fines Italiæ egreſſum, navem nunquam inſcendiſſe, neque noviſſe mare. Quare in magna erat auctoritate, veluti patrii moris ſtudioſe obſervans. Docentem audivit Pauſaniam. Herodem

dem vero tamquam ſcitiſſimum & vario ſermonis artificio præſtantiſſimum inter Rhetores admiratus eſt. Vivendo annum ſexageſimum exceſſit, & ſine liberis defunctus eſt; cum neque matrimonium, neque ſobolis procreandæ curam, approbaſſet. Ceterum Sophiſtæ nomen, quo inſignitus fuit Ælianus, Philoſophis primum ſapientiſſimis datum eſt. Quod poſtea ſemiphiloſophorum, & cavillatorum in notam tranſiit. Itaque idem tunc temporis, quo Ælianus floruit, *Sophiſta* fuit atque *Sapiens* vocari, & quidem per excellentiam. Præter Libros De Hiſtoria animalium & De Re militari, ſcripſit Ælianus De plantis, & Ruſtica quædam Epiſtolia. De Re Navali Æliani Commentarius in Bibliotheca Gallorum Regis, & Palatina, extare perhibetur a Suareſio. apud quem etiam recenſetur munus, quod Martialis ab Æliano ſe accepiſſe commemoravit, currus quidam, de quo Poeta ait, *Facundi mihi munus Æliani*. neque alterius ab Hiſtorico hunc fuiſſe dubitandum; cum & ætas Æliani Hiſtorici & Martialis Poetæ congruere optime poſſit; quamvis Martialis aliquanto major natu fuerit; & *Facundi*, laus, quam Martialis Muneratori ſuo Æliano tribuit, Hiſtorico noſtro unice conveniat; quem audivimus ex Svida ſuavis linguæ, & melliti ſermonis appellatum. In Barberinorum precioſo Muſeo, ſive Antiquitatum theſauro, Suareſii ætate id teſtantis, onyx aſſervabatur, cui inciſæ litteræ AELIANE VIVAS, forte amici aut amicæ Æliani Prænesti-

ni;

ni; non enim uxoris, quam nunquam illum duxiſſe, nuper de Philoſtrato memorabamus. Non tamen idcirco pertinere gemmam ad Ælianum Hiſtoricum pronunciabimus; cum plures Prænestini fuerint Æliani, ut ex baſi ſtatuæ L. Æliano poſitæ, quam produximus, aperte conſtat.

Æliano ſuperior, utpote qui Auguſto regnante floruerit, alius inſignis litterarum commendatione vir Prænestinus fuit Verrius Flaccus, quem tum ex Svetonio, tum vero ex titulo ſtatuæ illi Prænestæ in foro collocatæ, Prænestinum merito computamus. De illo Svetonius in libro, qui *De Claris Grammaticis* inſcribitur, ſic memoravit: *Verrius Flaccus Libertinus docendi genere maxime inclaruit. Namque ad exercitanda diſcentium ingenia, æquales inter ſe committere ſolebat, propoſita non ſolum materia, quam ſcriberent, ſed & præmio, quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus pulcher aut rarior. Quare, ab Auguſto quoque nepotibus ejus præceptor electus, tranſiit in Palatium cum tota ſchola, verum ut ne quem amplius diſcipulum poſthac reciperet. docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat: & ſeſtertia centena in annum accepit. Deceſſit ætatis exactæ ſub Tiberio. Statuam habet Prænestæ in inferiore Fori parte contra Hemicyclum, in quo Faſtos a ſe ordinatos & marmoreo parieti inciſos publicarat.* Hactenus de Verrio Svetonius. Statuæ baſis eruta Prænestæ legebatur. & quamvis illam, cum de Prænestina Colonia egimus, jam protulerimus, eamdem nihilominus non abs re nos

nos hic ſubjicere, delicatus lector ne gravetur.

Q. VERRIO . Q. F. PAL
FLACCO
SEVIRO . AVGVSTALI
CVRATORI . MVNERIS
PVBLICI
DECRETO . STATVAM . ET . FAS
ORDO . DECVRIONVM . ET . AVGVSTALIVM
ET . PLEPS . VNIVERSA . S. P. P. P. D. P

Quem tamen lapidem ad Verrium Flaccum Grammaticum pertinere, facile quis negaverit. Nam ea præter, quæ de Faſtis in Foro Romano repertis diximus, cum de Prænestinis monumentis atque ædificiis diſſeruimus; Quintus Flaccus de quo lapis, nobili loco natus perhibetur, trium nominum vir, triumque nominum Viri filius, e Palatina Tribu: at Verrius Flaccus Grammaticus obſcuro loco natus deſcribitur a Svetonio, utpote qui Libertini conditionem non exceſſerit. Facile tamen objectæ dubitationi reſpondeam; Libertinum nempe Verrium Flaccum Grammaticum Prænestinum, poſtquam ab Auguſto nepotum ſuorum Præceptor fuerat deſtinatus, & Palatinum domicilium ſortitus, tria adhibuiſſe nomina, & in Palatinam Tribum cooptatum. Vel, ſimplicius, objectanti reponam, Libertinæ Conditioni tria nomina non repugnaſſe, neque in aliqua ex Romanis Tribubus inſeri, Libertinorum non fuiſſe cum aliis ingenuis commune.

CAPUT XI.

De Via Prænestina.

A fuit Prænestinæ urbis celebritas, eodemque confluentium Romanorum ad Primigeniæ Fortunæ Prænestinas Sortes, præcipue, consulendas frequentia, ut uni ex Consularibus ac Primariis Urbis Romæ Viis & Portis *Prænestinæ* nomen fuerit impositum. Viam Prænestinam diserte 1. Strabo nominavit his verbis: *Porro in unum cadit Labicana, a Porta quidem Urbis Exquilina incipiens, a qua & Prænestina: sinistra vero, & hanc & Exquilinam omittens, in Campum ultra centum & viginti stadia pergit.* Prænestinæ Viæ meminit Plinius quoque; ait enim de aquis Urbis locutus: 2. *Agrippa & Virginem adduxit, ab octavi lapidis diverticulo, duobus millibus passuum, Prænestinâ Viâ.* De eadem Antonini Itinerarium sic: *Via Prænestina Gabios* XV. *Prænestе* XI. & Antiqua Tabula Peutingeriana: *Ab Urbe m.p.* XII. *Gabios. m.p.* XI. *Prænestе.* tum cetera loca & diversoria, in quibus equi mutabantur, Beneventum usque recenset. Quare id oppidum Prænestinæ Viæ terminus constitutus videri possit. Ego tamen Viam Prænestinam, quæ proprio vocabulo sic appellaretur, non ultra Prænestе contendisse, persuasum habeo; quæ longius excurreret, Prænestinam nonnisi abusive dictam, existimans. Ceterum,

1. *L.* 5.

2. *L.* 31. *c.* 3.

rum, dum ageremus de Labicanis, Labicanam Viam eamdem cum Prænestina vel illi proximam Labicum usque, fuisse diximus. quod oppidum plurimis eo loco, ubi nunc *La Colonna* oppidulum est, situm dicitur. Itaque Prænestinæ Viæ, ad Labicum donec perveniret, vetera monumenta cum Labicanæ Viæ monumentis fere communia fuere. Quæ nos de Labicana differentes protulimus. Aliqua tamen, quæ in Prænestina nominatim sita fuisse memorantur, huc subtexemus; dummodo prius ductum ejus utcumque, ex iis, qui ante nos ista diligentissime vestigati sunt, texuerimus. Prænestinæ Viæ initium & caput a Romano Foro & Aureo Milliario, unde Viarum omnium exordia ducebantur, merito ducendum foret. Illi ergo, qui a Suburra ejusdem initium ducunt, paullum retrocedere debuissent, a Suburra in Forum. Verum hoc leviter prætermisso, ab Suburra transisse fertur Via Prænestina ad Arcum Gallieni, Trophæa Marii, Basilicam Caji & Lucii. tum flectebatur ad Portam, quam Exquilinam Strabo appellavit, unde cum Labicana Via Urbe exibat. Hic ad dexteram Labicana, ad lævam Prænestina excurrebat. Porro ea Porta & Labicana hinc & Prænestina appellata est. Neque vero id quod Severanus existimavit, probari potest; Prænestinam scilicet Viam, per Portam, quæ nunc Sancti Laurentii dicitur, ex Urbe exisse, quæ & Tiburtina olim & Taurina, & Libitinensis, & forte etiam Rauduscula na & Exquilina di-

cta eſt; numquam vero Prænestina. Cum e contrario Porta, quæ *Major* jamdiu appellatur, ſæpe *Prænestina* diſerte fuerit nominata; ex eo nempe, quod per eam Via Prænestina 3. Prænestе duceret. Procopius πύλη καλουμένη Πενεστρίνη. *Porta vocata Peneſtrina*. & alibi πύλη Πενστρίνα *Porta Penſtrina*. Reſtituiſſe hanc Beliſarius creditur, cum a Gothis disjectos Urbis muros, fere omnes reſtituit; *Majoremque* vocaſſe, ab Arcu, Caſtello, ceteriſque ædificiis magnificentiſſimis Aquarum Claudiæ & ceterarum, quibus ſupponitur. Gothi certe Urbem a Porta Flaminia ad Prænestinam obſederunt, & in Prænestina Porta excubias, ſive cuſtodias, Beſſus habebat, eodem referente Procopio. Jam vero prope Prænestinam Portam, Viâ Prænestinâ, Vivarium fuit, hoc eſt, latiſſimum Camporum ſpatium ſilvis circum undique ſeptum, quo ſilveſtria animalia ad venationem concludebantur, nobis modo *il Parco*; ut libro eodem quo nuper allata, Procopius ipſe teſtificatur. Rurſum ſepulcrum Quinti Attæ Veteris Latini Poetæ Tragædiarum & Comœdiarum Latinarum, quas *Togatas* dixerunt, Scriptoris, fuit, Viâ Prænestinâ, Euſebii Pamphili teſtimonio: 4. *Quintus Atta Scriptor Togatarum Romæ moritur. ſepultuſque Via Prænestina ad milliarium ſecundum*. Tum Villa Gordianorum Imperatorum magnificentiſſima, fuit Viâ Prænestinâ, de qua Julius Capitolinus in Gordiano tertio, *Domus*, inquit, *Gordianorum etiam nunc extat, quam iſte Gordianus pul-*

3. *Lib. 1. Bel. Goth.*

4. *Chronic. Olymp. 175.*

pulchre exornavit, & villa eorum, Via Prænestina, ducentas Columnas in tetrastylo (alias *peristylo*) *quarum quinquaginta Caristiæ, seu marmore viridi, atque fluctibus concolori; quinquaginta Claudianæ, quinquaginta Synnades, candido marmore, ac purpureis orbiculis interstincto, quinquaginta Numidicæ, pari mensura, in qua Basilicæ Centenariæ tres, Cetera huic operi convenientia, & Thermæ, quales præter Urbem, ut nunc, nusquam in Orbe terrarum.* In Via quoque Prænestina, ubi Castra Prætoria ponit & metatur Ligorius, Obeliscus inventus fuit Ægyptiis literis, notis, & signis, insculptus, qui ad Barberinas Ædes nobilissimas intra Urbem, translatus est; jacetque nunc quoque præ illarum vestibulo. quem, cum aliis ejusmodi, doctissime interpretatus est Athanasius Kircherus noster; linguarum exoletarum, inter alia plurima, peritissimus. Aliud Obelisci fragmentum Prænestæ in hortis Principis visitur, quod vel in Prænestina Via, vel certe Prænestina regione fuit erutum. Celeriæ Gentis prædia & Villam secus Viam Prænestinam, sepulcrumque, juxta ipsius Viæ limitem, sita, prodidit sepulcralis effossus lapis apud Ligorium in hanc sententiam 5.

5. de Celeria.

M. CELERIVS . M. F. ESQ. TAPELLVS
EQ. ROM. CELERIA M. F. PAVLINA
MATER TAPELLI . CELERIA M. SORORI
PEATINA M. SERVILI . CON. MONUM
H. S. C. C. C. N. . . . . .
COMMVN. . . . . PERFECER

Juxta Prænestinam pariter Viam Villa fuit Lucii Algiovici Libertini, non longe ab oppidulo, quod modo Gallicanum appellant, sita; quemadmodum se deprendisse de inscriptorum lapidum ibidem erutorum 6. fragmentis, Ligorius idem asseveravit. Undecimo sive Duodecimo, prout aliter alii computaverunt, ab Urbe lapide, Via Prænestina, celebre oppidum Gabii fuerunt, antiquissimis Reipublicæ sæculis; de quo tamen insequenti hujus Operis Libro, quæcumque colligere potuimus., monumenta mox sumus exposituri. Habuit Via Prænestina Curatores suos viros nobilissimos; quos inter, Publium Martium Philippum nominat Ostiensis lapis, in Ostiensibus a nobis relatus, & hic iterum non immerito innuendus.

6. v. Algiovica in Libro A. L.

P. MARTIO . QVIR. PHILIPPO
CVRATORI . VIAE . PRAENESTINAE

Cetera, in Ostiensibus jam recensita. Porro, quamvis antiquus Viæ Prænestinæ trames ex ædificiorum in ea olim extructorum ruinis, & culturæ agrorum mutatione interceptus, non semel, ac interruptus, alioque traductus & contortus fuerit; illum tamen Franciscus Eschinardus noster Agri Romani, quaquaversum per quadraginta passuum millia extenditur, vestigator diligentissimus, ac præsens lustrator oculatissimus reperiit, atque in Tabula Cingulana, quam voluit appellare, accuratissime sic descriptum exhibuit. En igitur Viæ Antiquæ Prænestinæ ductum ex Eschinardi Cingulana Ta-

Tabula exhibitum. Initium duxit Via, ducitque adeo nunc quoque, ab Prænestina Porta, nobis *Porta Maggiore*: Viam Labicanam ad dexteram, ad sinistram, Viam Collatinam, & Tiburtinam relinquit; ad quas pariter locus est, sive prædium, *La Pedica di Ponte nuovo*; ad dexteram alius *Acqua Bollicante*. paullo ulterius eodem latere *Torre Pignattara*, locus Helenæ Constantini Magni Imperatoris Matris, sanctissimæ feminæ, sepulcro olim nobilis. Tendit hinc Via Prænestina in agros, ad dexteram ejus pariter constitutos, quibus nomen *Boccaleone*. Hos ultra, rivus Viam secat *Marzana* dictus. Deinde ad sinistram Viæ, diverticulo duorum circiter milliariorum, Fons est Aquæ Virginis, vulgo *Bottino dell' Acqua di Trevi*. Post hunc, in Viæ tramite mille circiter peractis passibus, Pons occurrit, colonis accolisque nominatus *Ponte di Nona*; puto quondam *Pontem*, *ad Nonum*, scilicet Viâ Prænestinâ *lapidem ab urbe* vocitatum. Unde corruptio vocabuli exorta est. Certe distantia facile congruit. Secat, ultra pontem pergentibus, Veresis amnis Viam Prænestinam. Nomen amni nunc *Osa*. Circa locum quadrivium est: cujus Orientalis pars Prænestæ, Occidentalis Romam, Septemtrionalis Tibur, Meridiana in Appiam & ad mare defert. Exinde lacus Gabinus ad sinistram Viæ Prænestinæ, incolis modo *Lago di Castiglione*, de nomine prædii propinqui, cui vocabulum *Castiglione*. Ad dexteram Viæ, paullo ultra hunc Lacum, rudera apparent,

rent, Eſchinardo quidem diruti Gabiorum oppidi. Mox in ipſa Via Pontes duo ſupra defluentes rivulos conſtructi; nomen Primo *Del Fico*, alteri *Della Cicala*. mox rurſum Sacellum ad Viæ ſiniſtram, cognomento *Santa Maria di Cavamonte*. Hinc Sancti Paſtoris Villa & agri; Gallicanum oppidum ad ſiniſtram; ad dexteram vero majus ac nobilius oppidum *Zagarolo*. Denique Barberinorum Villæ, atque arboribus altiſſimis ambulacra inumbrata, ad Prænestinæ ferme uſque urbis aſcenſum, veteresque Prænestini Fortunæ Templi ſuperſtites adhuc muros. Hic Viæ Prænestinæ limes, hic terminus, Urbs nempe ipſa Prænestе, unde Viæ nomen impoſitum. Nam, quæ ultra ipſam excurrit, Beneventum ad ipſum, utpote Hiſtoriæ noſtræ fines excedens, minute ſic veſtigari a nobis merito deſinet.

Illud quidem memorabile Viæ Prænestinæ præconium, quod circa illam plures ex Aquis, quæ Romam ductu perductæ ſunt, fontes, ubi concipiebantur, habuerint. Totam Prænestinam planiciem aquis irriguam initio ferme hujus libri de Strabone memoravimus. Certe circa Viam Prænestinam, & Aqua Appia, & Virgo, & Salonia, & Felix, & Alexandrina, originem duxerunt. De Appia Frontinus in ſuo de Aquæductibus Commentario, *Concipitur*, inquit, *Appia in Agro Lucullano, Viâ Prænestinâ, inter milliarium* VII. *&* VIII. *Diverticulo ſiniſtrorſus paſſuum* DCCLXX. *Ductus ejus habet longitudinem a capite uſque ad Salinas, qui locus eſt ad Portam Trige-*

mi-

minam, passuum XI. *millium* CLXXXX. *sub terram passuum* XI. *millium* CXXX. *supra terram substructione & arcuatione proxime ad Portam Capenam passuum* LX. *Jungitur ei ad Spem Veterem in confinio Hortorum Torquatianorum..... Ramus Augustæ ab Augusto in supplementum ejus additus, impositio cognomine respondenti, Gemellarum. Hic Via Prænestina ad milliarium* VI. *Diverticulo sinistrorsus passuum* DCCCCLXXX. *proxime Viam Collatiam accipit fontem, cujus ductus usque ad Gemellas efficit rivo subterraneo passuum* VI. *millia* CCCLXXX. *Incipit distribui Appia sub Publicii Clivo ad Portam Trigeminam, qui locus appellatur Salinæ.* Hæc Frontinus. Publicii Clivum in nostro de Coranis libro, cum de Publicia Gente Corana ageremus, fuisse, diximus Romæ ad Portam Trigeminam juxta Tiberim; e quo ascendebatur in Aventinum; stratum autem ab Publiciis Censoribus ex mulcta pecuariis imposita. quod ex nummis, & Veterum Scriptorum, Livii præsertim & Ovidii, testimonio confirmavimus. Circa locum fuisse crediderim, ubi nunc ex Via Ostiensi intra Urbem, quæ ad Ostiensem sive Trigeminam Portam ducit, modo Sancti Paulli, deflectitur; ascenditurque sinistrorsus in Aventinum ad Divæ Virginis Equitum Rhodiorum curæ Commendatæ Ædis, vulgo *Santa Maria del Priorato*. ibi enim & Clivus in Aventinum ascendens qualiter olim Publicius, & Veteris Portæ vestigia, quæ in antiquo murorum Urbis circuitu, Trigemina forte fuit. De Aqua Virgine, Via

Præ-

Prænestina concepta sic Donatus noster, Veterum ut semper, testimoniis instructissimus, differuit: 7. Agrippa Virginem Aquam duxit intra Urbem ab octavi lapidis diverticulo duorum mille passuum (Donati exemplaria operarum mendo pro II. habent XI. numero antiquo Romano binarii cum recenti Arabico undecimi commutato) Prænestina Via. Juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens, Virginis nomen obtinuit. Ingeniosa hæc nominis hujus Aquæ origo, non tamen vera mihi cum diligentioribus harumce rerum scrutatoribus censetur. Neque illam veram existimamus, quam profert Donatus ex Cassiodoro; cujus hæc verba: *Currit Aqua Virgo sub delectatione purissima, quæ ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur*. Itaque Frontino constantes adhæremus, adhærendumque a sapiente quolibet existimamus, ajenti: *Idem (Agrippa) cum jam tertium Consul fuisset, C. Sentio Q. Lucretio Coss. post annum* XIII. *quam Juliam deduxerat, Virginem quoque in Agro Lucullano collectam, Romam perduxit: dies, quo primum in Urbe responderit,* V. *Idus Junias invenitur. Virgo appellata est, quod quærentibus Aquam militibus puella Virguncula venas quasdam monstravit; quas secuti qui foderant, ingentem Aquæ modum invenerunt. Ædicula fonti apposita hanc originem picturâ ostendit*. Adhærendum, inquam, Frontini narrationi de hujus Aquæ nominis origine. Cum ipse Aquarum Curator ab Imperatore Nerva constitutus universum Aquarum negocium & magisterium,

7. *Rom. Vet. & Rec. lib. 3. c. 18.*

rium, ex profeſſo, ut ajunt, & ab ovo, funditusque diſcuſſerit, & examinaverit, in accuratiſſimo De Aquæductibus Commentario: Plinius vero, & multo poſt, Caſſiodorus poeticam potius & ingenioſam nominis originem illi appinxerint. Tantoque magis Frontini ſententia tenenda eſt, quod ipſe picturæ teſtimonium Fonti hujus Aquæ appoſitæ in extructa ibidem ædicula adjecit. ſcilicet in ea pictura, milites quærentes aquam, fodienteſque, ac Virguncula illis has venas oſtendens, repræſentabantur. Ceterum, quamvis Frontinus ipſe Aquam Virginem, non quidem Via Prænestina, ut Plinius, ſed Via Collatia concipi ſcripſerit; ab hoc tamen ejus ſententia non diſcordat. Siquidem Via Collatia ſeu Collatina, Collatiam Latinorum ſeu Sabinorum oppidum, celeberrimum Lucretiæ Romanæ facto, tendens, ad ſiniſtram fuit Prænestinæ Viæ: cumque Plinius Aquam Virginem Via quidem Prænestina conceptam, verum diverticulo ab ea ſiniſtrorſum milliario ſecundo dicit, jam in Frontini milliarium octavum Viæ Collatinæ, ubi hic auctor eam Aquam ait concipi, prorſus incidit. Voluit autem Plinius Prænestinam potius Viam nominare, quod celebrior eſſet, quam Collatina, Plinii ætate jam incelebris & infrequens; eo quod ejus terminus Collatia oppidum, dirutum atque exciſum jam foret. Frontini autem de Virginis Aquæ ortu talia ſunt verba: *Concipitur ergo Viâ Collatiâ ad milliarium* VIII. *paluſtribus locis; Signino cir-*

cumjecto continendarum ſcaturiginum cauſsâ adjuvatur: & cum pluribus aliis acquiſitionibus venit per longitudinem paſſuum XIIII. *millium* CV. *ex eo, rivo ſubterraneo paſſuum* XII. *millium* DCCCLXV. *ſupra terram per paſſus* MCCXXXX. *ex eo, ſubſtructione rivorum locis compluribus paſſuum* DXXXX. *opere arcuato paſſuum* DCC. *acquiſitionum Ductus rivi ſubterranei efficiunt paſſus* MCCCCV.

8. *L.* 54. At Dion 8., eamdem Aquam Via Prænestina conceptam, & ab Agrippa deductam, præter *Virginis* primarium nomen, *Auguſtam* quoque a Deductore nominatam, in Auguſti Cæſaris ſoceri ſui gratiam, tradit. inquit enim: *Aquam, quæ Virgo vocabatur, propriis ſumptibus Agrippa adduxit, Auguſtamque nominavit. quod ita gratum fuit Auguſto, ut inopia aliquando vini exiſtente; cum queritaretur populus, ſatis proviſum diceret eſſe ab Agrippa, ne quis eorum ſiti periret.* Denique Plinius de magnificentia, utilitate, ac

9. *L.* 36. *c.* 15. ſplendore ejuſdem corrivatæ Aquæ, hæc adjecit: 9. *Agrippa in Ædilitate ſua, adjecta Virgine Aqua, ceteris corrivatis, atque emendatis, lacus* DCC. *fecit; præterea Salientes* CV. *Caſtella* CXXX. *complura etiam cultu magnifica. Operibus iis ſigna* CCC. *ærea aut marmorea impoſuit; columnas ex marmore* CCCC. *eaque annuo ſpatio.* Porro Fons Aquæ Virginis Romæ, ſive primarius lacus. in quem communibus Populi uſibus effundebatur, eodem fere, ubi nunc eſt, loco, etiam antiquitus fuit, juxta Septa, ſive eorum Porticus, non longe a colle Hortorum ſive Hortulorum, nunc *Pincio*, adjuncta Æde Juturnæ. ut Ovidius ceci-

10. *Faſt. lib.* 1. nit. 10. *Te*

Te quoque lux eadem, Turni ſoror, æde recepit,
Hic, ubi Virginea Campus obitur Aqua.

Arcus Virginis, ait Frontinus, *initium habent ſub Hortis Lucullianis* (hi erant in colle Hortorum) *finiuntur in Campo Martio, ſecundum frontem Septorum*. Erant autem *Septa* ſpatium Urbis in Campo Martio clauſtris ſeptum ſive circumdatum, ad includendum Populum & Tribus diſtinguendas, quando Comitia fiebant; juxta illud Ovidii, inter cetera. II. *Faſt. primo.*

Eſt quoque, quo Populum jus eſt includere Septis,
Eſt quoque, qui nono ſemper ab orbe redit.

Jam vero ibi erumpebat Aqua Virgo, atque emergebat, ubi deſinebant Arcus. Quos C. Cæſar quia nimium impediebant Amphitheatrum, diſturbavit, ſed Claudius reſtituit. quod nos docet antiqua Inſcriptio ipſis Arcubus inciſa literis maximis atque pulcherrimis extans Romæ in impluvio Domus olim Angeli Colotii, prope Bubalorum. Romanorum Patriciorum Ædes, juxta cloacam, vulgo *La Chiavica del Bufalo*. Deinde aliquot ſæculis interceptam & dilapſam Virginem Nicolaus V. Pontifex Maximus, tum Xyſtus IV. deinde Pius IV. acquiſitis etiam novis fontibus, reſtituerunt. Tactu præſtitiſſe olim Virginem, hauſtu Martiam, tradit Plinius. Nunc Virgo, Trevia nomine, Martiâ pridem interceptâ, tactu pariter hauſtuque præcellit: non ſolum publicis, ſed etiam privatis civium uſibus, totam ferme per Urbem, qua plana eſt, diſtribuitur. Verum quod fonte cadat modico,

atque humili admodum, in Urbis colles attolli omnino non potuit. 12. Tiberium Cæsarem olim in Aquæ hujus Ductum ornatumve contulisse operam, innuere videtur inscriptus lapis a Fabretto relatus, ut prostans vinea Vallæa Romæ *a Muro Torto*, his literis:

12 *Fabrett. pag. 661. n. 512.*

VIRG
TI CAESAR . AVG
PONTIF MAXIM
TRIB. POT. XXXVIII
COS. V. IMP. VIII
IIII
P CCXL

Huic vulgo nomen *Acqua di Trevi*: & Lacui Primario, quo effunditur *Fontana di Trevi*. Inde profecto derivatum, quod in Trivio Fons idem & Lacus Primarius constitutus foret. quæ origo vel ex illo confirmatur, scilicet Sacræ Ædi Divæ Virginis, huic Fonti proximæ, forte in ruinis Veteris Juturnæ templi excitatæ, antiquum nomen esse, *Sanctæ Mariæ in Trivio*. Quamvis autem circa eumdem Fontem plures deinde quam Tres Viæ apertæ fuerint; initio tamen, quando a Summis Pontificibus Aqua Urbi fuit restituta, Tres Viæ fuerunt, seu Trivium, a quo *Aqua Trivii* & vulgo *di Trevi* appellata fuit. Quod noverint imperiti illi, si tamen ullus jam in eo errore superstes est, qui eam Aquam ab oppido aliquo *Treba* vel *Trivio* nominato, cognomentum duxisse, existimaverunt. Ab *Treba* quidem

dem in montibus Æquicolarum, diverſa admodum regione ab regione Prænestina Aquæ Virginis natali, Anio fluvius & ejus duplices in Urbem Ductus & Rivi originem ducunt, ut nos in Tiburtinis late, Deo dante, differemus. Verum nil huic oppido cum Aqua Virgine, Hæc, cum de Romanis per tot ſæcula, omnium aquarum, quæ in Urbem influunt, Benemerentiſſima ceteroquin fuerit; aliarum tamen fontibus & lacubus magnificentiſſime exornatis omnibus, rudi adhuc in hanc ferme diem fonte & lacu promanavit. Quod multo magis infortunium virorum clariſſimis & meritiſſimis evenire ſæpe, videmus, ut ab immerentibus, vel ſaltem minus promeritis ſupplantentur. Verum Virtutis ac Meritorum Munerator oculatiſſimus & Liberaliſſimus Clemens Duodecimus Corſinus Florentinus Pontifex Maximus hanc etiam labem & veterem injuriam Meritiſſimo Fonti ſuſtollere jam decrevit, eumdemque cum Lacu propediem exquiſitis ornamentis eſt ornaturus, dum hæc ſcribimus, adeoque exornat.

Non longe a Via Prænestina, ut in Cingulana Eſchinardi Tabula videre eſt, etiam Alexandrina Aqua ab Alexandro Imperatore deducta oriebatur, & Aquæ Felicis fontes ab Felice Peretto mox Xyſto Quinto Pontifice deductæ Prænestinam Regionem non exceſſere, utpote qui in Agro Columnæ oppidi pullulent. Eadem in Regione Vereſis amnis, nunc *Oſa*, aliique rivi; Lacus Gabinus, La-

cus

cus Regillus, tertius quoque parvus lacus ſine nomine aperiuntur. unde meritiſſime Straboni tota Prænestina Regio aquis mirifice irrigua prædicatur. Quare ejuſdem ubertatem, & rerum omnium feliciſſimum in ea proventum indidem, facile cognoſcemus; cum tanta ſit in ea Aquæ copia, cui nomen ideo *Aqua* ab Latinis inditum volunt, utpote ſignificaturis, rem eam eſſe *A quâ* fructus & fruges omnes, tum humanæ vitæ commoda omnia potiſſimum provenirent.

Quamquam autem Viæ Prænestinæ inſcriptos lapides in ſuperioribus de Agro & Monumentis Prænestinis agentes protulerimus fere omnes; nonnullos tamen eadem repertos Viâ, nec adhuc a nobis relatos, hic damus.

Itaque Fabrettus Inſcriptionum capite ſecundo pag. 81. numero 102. hanc in muro vineæ Chartuſianorum Viâ Prænestinâ inſertam ſic retulit

D . M
M. ANNIVS HYLAS
ET MAMMIA IVSTA
ET M. ANNIVS STATIANVS
FILIVS FECERVNT SEBIBIS
SIBI ET SVIS LIBERTIS
L. Q. POSTERQ. EOR

Item alteram Vineâ Greppiâ ad Viam Prænestinam *Pag. 255. n. 68.*

D . M
VALERIAES CAPRIOLAES
M. VALERIVS FAVSTVS
CONIVGI . SVAE . CARISSIMAE . ET PI
ENTISSIMAE . BENEMERENTI

FE-

FECIT SIBI ET SVIS ET LIBERTIS
LIBERTABVSQVE SVIS
POSTERISQVE EORVM

Et tertiam in columna milliarii ſeptimi reperta ad Viam Prænestinam in Hortis Sancti Euſebii intra Urbem.

DONINO (*ſic*)
NOSTRO
MAXENTIO
PIO . FELICI
INVICTO
AVGVSTO
VII

Pag. 412. *n.* 315.

CAPUT XII.

De Antiquis Latii Oppidis circa Præneste.

RÆNESTINAM Urbem atque regionem, in Septemtriones, Montes circumdederunt, quos *Prænestinos* Livius appellavit. *Lucretium*, inquit, *dum in Hernicis* 1. *ſedet, prædonum agmen fefellit, ſupra Montes Prænestinos ductum. inde demiſſum in Campos, vaſtavere agros Prænestinum Gabinumque. Ex Gabino iu Tuſculanos flexere colles.* Prænestinis hiſce in Montibus Bolæ oppidum Latinorum antiquiſſimum & nobilis Albanorum Colonia fuiſſe creditur Ruæo noſtro ad illa Virgilii carmina de Albanis

1. *L.* 3.

Hi tibi Nomentum, & Gabios, Urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque, Coramque.

Bo-

Bolanos Dionyſius & Plinius inter Antiqui Latii populos recenſuere. Quamquam in Dionyſii exemplaribus quibuſdam, Bolani cum Boillanis, ſeu Bovillanis confuſi fuerint. quod nos cum de Bovillis egimus, animadvertimus. Ex hoc oppido Familia & Gens Bolana Romæ illuſtris fuit. Ex qua Horatius 2. Bolanum laudat ut ingenii mitis, patientis atque perfacilis, ac multum ſuo diſſimilis, qui tantâ garruli cujuſdam caſu obviam ſibi facti, Viâ Sacrâ, importunitatem ac blaterationes, moleſtiâ ſuſtinuit.

2. *Sat. 5.*

o te Bolane cerebri
Felicem ajebam tacitus. cum ſudor ad imos
Manaret talos.

Bolanæ Gentis eſt lapis apud Fabrettum 3.

3. *C. 2. f. 92.*

V. F
BOLANA . M. F. SECVNDA
SIBI . ET . VECTIAE . SEX. F
CIVILI . ET
M. BOLANO . M. F. ANIENS
MARCELLO FRATRI IIII. VIRO
AEDIL. POTESTATE

Vettium Bolanum Conſulem Gruterianus lapis commemorat his notis 4.

4. *P. 128.*

C. CALPHVRNIO PISONE
M. VETTIO BOLANO COSS.

Venetiis ſupereſt adhuc nobilis Bolana Gens; utrum tamen ab antiqua Bolana Romæ originem trahens, non conſtat omnino mihi; cum ceteroquin præclariſſima & nobiliſſima in ea Republica familiæ permul-

multæ generoſiſſimæ, quales Cornelia, Valeria, Marcella, aliæque, de antiquis Romanis familiis cognominibus originem trahere glorientur, Bolam oppidum quidam fuiſſe crediderunt, ubi nunc oppidum *Poli* in ditione Gentis vetuſtiſſimæ Comitum Signinorum Anagninorum & Tuſculanorum Romæ adhuc florentis. Conjecturam de nominum vicinitate *Bola*, & *Poli* feciſſe hos auctores crediderim. Ceterum Oppidanis recentis oppidi aliter eſt perſuaſum. Siquidem, Poluſtiam patriam ſuam olim nominatam, Carminibus in porta oppidi affixis, ingredienti cuilibet proteſtantur. Cum tamen Poluſtiæ ſitum circa Pontinas Paludes fuiſſe potius, quam alibi, teſtimonio Veterum Scriptorum ſecundo hujus Operis Libro fuerit oſtenſum. Bolam Baudrandus (unde hauſtum, neſcias) in Via Appia, lapide ab Urbe decimo ſitam conſtituit. Sed hallucinatus profecto eſt, Boillas ſeu Bovillas deſignans pro Bola. ſiquidem ibi Bovillas conſtitutas clariſſimis Veterum teſtimoniis, cum de Bovillanis ageremus, jam ſtabilivimus. De Bola etiam in Algidenſium libro pauca diximus, quod Prænestinos inter & Algidenſes ab aliquibus conſtituta, credita ſit.

Prænestinis pariter in Montibus, aut certe ab illis non ita procul, in Prænestina regione fuiſſe crediderim, Vetuſtum aliud Latinorum oppidum Collatiam nomine. Illud quidem ita, multis jam ſæculis interiit, ut etiam ruinæ perierint; & inter

illa, quæ ſine veſtigiis exciderant jam ab ipſa ſua ætate, Plinius annumeraverit. Sunt, qui putent Collatiam Veteris Latii fines exceſſiſſe, quemadmodum & Nomentum; quod ultra Anienem, Septemtrionalem Veteris Latii limitem, poſitum fuit. Attamen & ipſum Nomentum, hodie *Lamentana*, quamvis proprie in Sabinis, Latinis nihilominus ſæpiſſime ab Hiſtoricis accenſitum eſt; quia in confinio ferme Latii eſſet; agerque ejus ad ipſum quoque Latium extenderetur. Quod de Collatia pariter factum eſt. Fuit hæc Albanorum Colonia, celebris. De qua Virgilius

Hi Collatinas imponent montibus arces.

Cui carmini quidam addidere, interſeruerunt que Virgilianis

Laude pudicitiæ celebres: addentque ſuperbos
Pometios.

Cetera. Unde fit, ut modo ſine hujuſmodi additamento, modo cum ipſo, Virgiliana hæc carmina ab auctoribus recitentur; aſſerentibus aliis & hoc Virgilii eſſe, reliquis negantibus obſirmatiſſime. Verum, ut ut res habuerit; meruiſſe Collatiam eam laudem certiſſimum eſt, ob Lucretiam ſuam; quæ Collatiæ, Probæ primum mulieris ac matris familias ſolertis exemplum fuit; quando illam Collatinus Tarquinius vir inter regias nurus, abſente dudum ceteroquin ipſo marito, improviſus ſuperveniens, nocturnum ad lumen lanæ intentam invenit; cum matronæ reliquæ, quod nunc uſitatiſſimum

mum eſt, conviviis, choreis, & ludis vacantes noctem inſomnes ducerent; unde Muliebris Sapientiæ palma Lucretiæ ipſi ab omnibus fuit adjudicata. quæ mox non inulto expugnati muliebris decoris exemplum rurſus multo illuſtriſſimum ſe ipſam præbuit; dum tantæ vel invictiſſimæ ſibi illatæ injuriæ ſuperſtes ut viveret, nullis ſuorum argumentis perſuaderi potuit. Itaque Collatiæ initium Romanæ Libertati factum eſt per L. Junium Brutum, & L. Tarquinium Collatinum, Primos Romanæ Reipublicæ Conſules. In montibus munitam fuiſſe Collatiam Virgiliana illa verba ſignificant: *Collatinas imponent montibus arces*. Et alia Ovidii de Lucretia narraturi: 5. *Accipit æratâ juvenem Collatia Portâ*; 5. Faſt. 2. ſiquidem arces præcipue æratis portis muniri ſolent. Via, quæ ab Urbe ad hoc oppidum olim tetendit, Prænestinam inter & Tiburtinam deſcribitur; unde & hujus oppidi Prænestinæ regioni vicinitatem manifeſte colligimus. Porro Via nunc *Collatina*, nunc *Collatia* appellata eſt, ajente Frontino, Aquam Virginem concipi Via Collatia, milliario octavo. Ametus recens & accuratus Veteris Latii Deſcriptor in ſua Tabula & Viam Collatinam, ejuſque ductum deſignare non dubitavit, Tiburtinam inter & Prænestinam; atque ſitum ipſius oppidi *Collatia* ſtabilivit ad ſiniſtrum Lacûs-Gabini latus, juxta Vereſim amnem, nunc *Oſa*, loco, qui modo dicitur *L'Oſtaria dell' Oſa*. Verum rei hujuſce tota apud ipſum fides eſto. Baudrandus, ſeu verius Ad-

ditamenta ejus Commentario facta, in Via collocat Tiburtina, aitque forte fuisse ad Anienem fluvium in Sabinorum finibus, ubi prædium *Cervaro* dictum; distasse ab Urbe, ait, stadiis quadraginta. quæ tamen nullo certo Veterum testimonio confirmat. Ceterum non in planicie camporum, sed in montibus constitutam fuisse Collatiam urbem, certissimum est de celeberrimo Virgilii versu

Hi Collatinas imponent Montibus arces.

Errat autem vehementer Baudrandus dum Collatinam Portam Romæ, quam hodie *Pincianam* dictam ait, ab Ovidio nominatam scribit, eo versu: *Accipit æratâ juvenem Collatia Portâ*. ibi enim manifeste Ovidius, Sextum Tarquinium Superbi filium Portam Urbis Collatiæ intrantem describit, non Urbis Romæ Portam exeuntem. unde rectus ordo carminis, a Baudrando prave intellecti, est: *Collatia Urbs accipit juvenem portâ suâ æratâ*. Si enim exeuntem Roma juvenem describere voluisset, dixisset profecto: *Porta Collatia ærata*, non *accipit*, sed *emittit* aut quid simile. Rursum vox *æratâ* eo carmine, non primo sed sexto est casu, necessario intelligenda. Siquidem ultima ejus syllaba producitur necessario, leges carminis considerantì. At hæc quamplurimi in Antiquis Scriptoribus minime attendentes, in eorum expositione cœlum terris miscent & mare cœlo; itaut, si eorum quilibet ad vitam revocaretur, suis ipse in legendis operibus tam alienâ sæpenumero interpretatione obfuscatis, mi-

miraretur, profecto cum ſtomacho, novas frondes & non ſua poma. *Collatiam* inde dictam, ſunt qui tradunt, quod ex multarum urbium opibus & populis *Collatis ſimul*, & congregatis extructa urbs fuerit. ſicuti apud Plautum *Collatinus Venter* nominatur Paraſiti cujuſdam, qui in illum omne genus eſcas promiſcue conferebat, a *collatis eſcis*. Verum hæc hactenus.

Jam vero in planicie circa Prænesſte, Orientem Solem verſus, Prænesſten inter & Signiam celebre aliud oppidum fuit Junioris Marii ab Sylla accepta clade, *Sacriportus* nomine. De illo Scriptores plures Marianam hanc cladem memorantes meminere. Florus de 6. Syllanis Marianiſque præliis locutus: *Apud Sacriportum, Collinamque Portam debellatæ omnes hoſtium copiæ*. Idem Breviator Livii 7. *Sylla C. Marium, exercitu ejus fuſo, deletoque, ad Sacriportum, in oppido Prænesſte obſedit*. Vellejus: *C. Marius*, inquit, *ſepties Conſulis filius apud Sacriportum pulſus a Sylla, acie, Prænesſte, quod ante natura munitum præſidiis firmaverat, ſe exercitumque contulit*. Auctor de Viris illuſtribus in C. Mario filio: *In adparatu belli, quod contra Syllam parabatur, apud Sacriportum vigiliis & labore defeſſus ſub dio requievit: & abſens victus, fugæ, non pugnæ interfuit. Prænesſte refugit*. Appianus Libro Civilium bellorum primo: *Clades autem*, inquit, *ad Prænesſte accepta eſt hoc modo: occupato a Sylla Setio, Marius eo copias admovit; dein paullatim retrocedens, ubi ad Sacriportum pervenit, explicuit*.

6. *Lib.* 3. *c.* 21.

7. *Epit. Liv. L.* 87.

plicuit aciem. pugnatumque eſt magnis animis. Mox ſubdit Appianus idem: *Atque hoc initium fuit Mario adverſæ pugnæ. victi enim effuſa fuga univerſi Præneste petebant, Sylla terga cædente.* Idem Plutarchus, & multo poſt ipſum Oroſius meminere. quod Lucanus uno carmine comprehendit: 8.

8. *L.* 2.

Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum?

Hæc quidem certiſſima de hoc olim Latii oppido probatiſſimorum auctorum teſtimonia. Ceterum quo potiſſimum loco fuerit id extructum, & unde hoc illi nomen, religioſiſſimum apud omnes ſilentium.

Pedum quoque antiquiſſimum Latinorum oppidum circa Præneste fuiſſe, de plurium hiſtoricorum verbis colligimus. Idque diſerte Vetus Horatii interpres tradidit ad eos verſus Poetæ in Epiſtola ad Albium Tibullum: 9.

9. *L.* 1. *ep.* 4.

Albi, noſtrorum ſermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat?
An tacitus ſilvas inter reptare ſalubres?

Ad quos ſic Interpres eſt commentatus: *Pedana regio inter Tibur & Præneste fuit: ab oppido Pedo, quod non longe fuit ab Urbe.* Memoratur Pedum Livio, ubi de illius obſidione atque expugnatione agit. De qua nos in Veliternis 10. atque alibi. Memoratur Stephano, ejuſque Breviatori, & *Peda* dicitur Auſoniæ urbs. Plinius Pedanos inter Antiqui Latii populos ſine veſtigiis 11. exciſos enumeravit. Plutar-

10. *C.* 2.

11. *L.* 3. *c.* 5.

tarchus in Coriolano, Pedum, ait, ab illo una cum reliquis Latinis oppidis expugnatum. Meminere quoque Pedanorum Triumphales Fasti Capitolini sic: L. FVRIVS. SP. F. M. N. CAMILLVS. COS. DE PEDANEIS ET TIBVRTIBVS. AN. CDXV. Propinquum Prænestinæ urbi Pedum Livius ita significavit, dicens: 12. *Gallos mox Prænestе venisse, atque inde circa Pedum consedisse*. Pedani cum Municipes essent, eodem ac Nomentani, Aricini, & Lanuvini, jure Cives Romani facti sunt. Ex hoc oppido Gens *Pedia*, cujus frequens in Antiquis Scriptoribus mentio, forte prodierat. Pedius Poplicola Orator Caussarum nominatur Horatio. Et forte etiam *Pedonum* alia familia indidem ortum habuit; ex qua elegans Poeta Augusti ætate Albius seu Lucius Pedo Albinovanus scripsisse traditur librum Elegiaco versu, qui adhuc extat; legiturque inter Ovidii Opera, *De Consolatione ad Liviam in morte Drusi*. Ex quibus omnibus Veterum testimoniis collegit Cluverius, Pedum urbem Latinorum circa Prænestе fuisse, inter Lavicos, ipsum Prænestе, Tibur, atque Romam: ab hac decimo septimo circiter lapide distantem, quarto a Prænestе, prope Viam Prænestinam. inclinatque ut credat ejus in sede excitatum præsens oppidum *Gallicanum* sedere. 13. Cujus recens nomen inde deductum, scribit Ligorius, quod ibi villa fuerit & prædium Domitii Gallicani in Via Gabina-Prænestina; testimonium afferens, Lapidi corroso ac mutilo inciſam Dedicationem Minervæ

12. *L.* 7.

13. *v. Gallicana.*

Gal-

Gallicanæ factam ab Cn. Domitio Gallicano Ædile Curule & Præfecto Ærarii Saturni. Pedum autem existimavit Ligorius non hic, sed paullo ulterius in montibus situm, circa oppidum modò *S. Gregorio*; quod Kirchero antiqua *Saxula* creditum est.

In Agro denique Prænestino, aut certe in ejus finibus, *Scaptia* oppidum fuit a Plinio inter excisa sine vestigiis relatum. De illo Festus. *Scaptia Tribus a nomine Urbis Scaptiæ adpellata, quam Pedani incolebant*. Prope Pedum ergo fuisse prudenter existimabimus. Quamquam Baudrandus (quâ fultus nescias auctoritate) Scaptiam inter Soram & Fabrateriam in Novo Latio collocatam tradiderit. *Scaptini* Populi apud Dionysium leguntur. Tribus etiam Scaptensis sive Scaptiensis; seu potius Scaptiæ Tribus tribules Scaptienses dicti. Svetonius in Augusto: 14. *Comitiorum quoque pristinum jus reduxit: ac multiplici pœna coercito ambitu, Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis, die Comitiorum, ne quid a quoquam Candidato desiderarent, singula millia nummum a se dividebat*. Cluverio Antiquæ Scaptiæ situs creditur Pagus apud Veresim amnem, prope eum locum ubi is in Anienem defluit, vulgo nunc *Passerano*, in Barberinorum ditione. Miror tamen Clarissimum Virum, aliosque plures, oppidorum, quorum ab ipsa jam Plinii ætate, ejus testimonio, nulla amplius extabant vestigia, tamen tot post sæcula vestigia adhuc quærere, & situm eorumdem stabilire conari. Verum tale quid mea etiam Scripta alicubi præ-

14. C. 40.

præſeferunt. ſcilicet nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negatum.

Gabios quidem in Via Prænestina celebrem Urbem fuiſſe, certiſſimum eſt. De qua tamen peculiari Libro pauca, quæ extant, referre jam aggrediemur.

FINIS LIBRI DECIMISEXTI.

VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER DECIMUSSEPTIMUS

DE GABINIS.

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Gabiorum Origine, Conditoribus, & Loco ubi olim ſitum Oppidum.

IRCA Præneste atque adeo in ipsa Via Prænestina vetustissimis temporibus oppidum fuit celebre *Gabii* nominatum. Cujus tamen etiam interitus jamdiu subsecutus locum ipsum, quo antiquissime oppidum situm fuerit, stabilire certis argumentis vel oculatissimo vestigatorum cuilibet non permisit. Memorantur Gabii Varroni, Pro-

pertio, Virgilio, Ovidio, Diodoro, Livio, Dionyſio, Valerio-Maximo, Straboni, Lucano, Plutarcho, Appiano, Solino, Vetuſtis Itinerariis Tabulis, & Antonini, Eutropio, Stephani Breviatori, aliiſque antiquis Scriptoribus; & ab Cicerone, Horatio, ac Juvenale, in exemplum deſertiſsimi loci adducuntur. Auctorum teſtimonia ſuis quæque locis ſingula mox afferemus. Hic de Gabiorum origine ante omnia veſtigandum eſt. Eam cum oppidi nomine Virgilius Albanis tribuit. Siquidem apud Elyſios Anchiſen inducens Æneæ filio Poſteros ſuos præſagienti atque indicanti, inter ceteras ab Albanis ſtatuendas Urbes, quæ tunc ſine nomine erant, etiam Gabios annumeravit, & quidem inter primas, poſt Nomentum ſtatim. 1.

1. L. 6.

Hi tibi Nomentum, & GABIOS, Urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque, Coramque.
Hæc tunc nomina erunt. nunc ſunt ſine nomine Terræ.

Verum id de Colonia ſuorum ab Albanis Gabios deducta verius intelligendum; cum a Primis Veteris Latii Populis, qui Pelaſgorum erant ex origine, Gabios extructos, Scriptores alii rem minime poetice tractantes tradiderint. Certe Strabo Græcanicas Urbes 2. Gabios & Tibur appellat. Atqui, Tibur Argeo poſitum Colono, quis neſciat? Argivâ igitur etiam Gabii origine dicendi ſunt. Congruit id Solini teſtimonio, qui, neſcias quos auctores ſecutus, Gabios, tradit a Siculis, qui Græcorum pars

2. L. 5.

fue-

fuere, originem habuiſſe; idque tanquam in comperto apud ſuæ ætatis homines, ita retulit: 3. *Notum eſt*, inquit, *Gabios a Galatio & Bio, Siculis fratribus conſtitutos*. Ex iiſdem vocabulum hanc urbem mutuaſſe, primi fratrum contracto nomine, Solino perſuaſum, quivis facile per ſeſe animadvertet. Neque tamen his certiora de Gabiorum origine ac nomine proferre poſſumus. Turno antiquiſſimis temporibus adverſus Æneam bellaturo adfuiſſe Gabinos ſcripſit Virgilius 4.

3. Cap. 8.

4. Lib. 7.

Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt, quos dives Anagnia paſcit.

Alii ex Juvenale ajente de pudica matrona *Vivat Gabiis, ut vixit in agro*, eruere putaverunt, Gabios primum ſparſos per agros vitam duxiſſe, in oppidum, demum, Gabios nominatum, conveniſſe. Quæ ſententia Servii Grammatici fuit, in allata Virgilii carmina ajentis: *Gabii diu in Agris morati tandem Gabios condiderunt. Unde perite* ARVA *dixit, non mœnia. Sane illic Juno religioſiſſime colitur*. Verum hæc ipſa fabuloſa & incerta ſunt. Multitudinis ſemper numero Gabii oppidum appellatum invenies. quod antiquiſſimæ frequentiæ ejus ac magnitudinis validum eſt documentum. ita enim, ut alibi hoc eodem Opere ſignificavimus, appellabant Veteres oppida, quæ multitudine civium, & vaſtitate ſpatii, quod urbana occupabant ædificia, in plures quodammodo urbes diſtinguebantur, ut Athenas,

Sy-

Syracuſas ; & recentioribus ſæculis Venetias, Majores noſtri nominaverunt. Priſcam hanc Gabiorum frequentiam diſerte memoravit Propertius, antiquas Veteris Latii urbes olim florentes, deinde civilibus præcipue bellis exciſas, recenſens : 5.

5. *Lib. 4. el. 1.*

Quippe Suburbanæ parva minus urbe Bovillæ,
Et, qui nunc nulli, Maxima Turba Gabj.

Et Dionyſius adhuc diſertius de Gabiorum 6. fraudulenta per Tarquinios invaſione locutus. *Nunc equidem*, inquit, *haud tota Urbs habitatur ; ſed ea tantum pars, quæ ad Viam, frequentatur diverſoriis. tunc vero populoſa erat, & ſi qua alia, ampla & magna : ſicuti conjecturam ſumere licet e ruinis ædificiorum paſſim extantibus, & mœnium ambitu, quæ hodieque ſuperſunt maxima ſui parte.* Hujus urbis populi *Gabini* fere ſemper ſunt appellati. Varro libro Latinæ Linguæ quarto : *Gabinus ab oppido Gabii. Gabios* etiam Frontinus aliquando ipſos hujus oppidi 7. cives nominavit. & *Gavini* pro *Gabini* nominati leguntur, conſueta affinium literarum commutatione. Sic Juno *Gavia* legitur apud Suareſium ; & *Gaviniana prædia* apud Anton. Auguſtinum ex antiquis lapidibus & Juriſconſultis habentur. *Gabinii* quoque tandem, & *Gabiatæ* Græcis Scriptoribus. & *Gabinus* Ager dictus eſt. quamquam ſemel a Plinio 8. *Gabienſis* quoque nominatus fuerit. *Quædam*, inquit, *terræ ad ingreſſus tremunt, ſicuti in Gabienſi agro, non procul urbe Roma, jugera ferme ducenta equitantium curſu.* Tremoris hujus, ſive potius reſonantiæ, ipſe etiam, dum per Ga-

6. *L. 4.*

7. *Stratag. L. 3.*

8. *L. 2. c. 93.*

bi-

binum agrum equitarem, non ſemel teſtis fui. Fuit etiam Romæ Porta *Gabiuſa*, per quam, Viâ Gabinâ, Gabios ibatur. &, ex Gabinorum lapidum fragmentis apud Ligorium, *Gabionetta Villa*. *Gabienſis* autem ſeu *Gabinenſis* vocabulum deterioribus ſæculis fuit uſurpatum. Holſtenius enim in ſuis ad Italiam Cluverii notis memorat, 9. *Leonem Epiſcopum Gabinenſem Joannis VIII. PP.* nepotem, quem in Pontigonenſi Gallicano Concilio adfuiſſe, ait. idemque *Gabinatis Nicetæ Epiſcopi* ibidem meminit, qui una cum aliis ſuburbicariis Concilio Romano ſub Zacharia Pontifice interfuit, atque ſubſcripſit, circa Reparatæ ſalutis ſeptingenteſimum quintum & quadrageſimum. Et hæc quidem de Origine, Conditoribus, & nomine Gabiorum urbis. Nunc de Loco, ubi ſita fuit, diſſerendum.

9. *In Annot. ad Ital. Cluv. pag. mihi* 197. & 98.

In Via Prænestina illam fuiſſe certo ſcimus, pluribus hoc Veterum teſtimoniis aſſerentibus. Strabo: 10. Γάβιοι πόλις ἐν τῇ πραινεστίνῃ ὁδῷ κειμένη, διέχουσα τὸ ἴσον τῆς Ῥώμης καὶ Πραινέστου περὶ ἑκατὸν σταδίους. nempe: *Gabii urbs in Prænestina Via ſita. diſtans ex æquo Roma & Prænesta ſtadia centum*. Quod Dionyſius confirmans, 11. *Oppidum erat*, inquit, *Latinorum Gentis, Albanorum Colonia, Viâ Prænestinâ, centum ſtadiis ab Roma diſſita, quam Gabios appellabant*. Et Appianus 12. *Gabii oppidum in medio Romæ ac Prænestis*. Rurſum Itinerariæ Vetuſtæ Tabulæ: *Româ, Viâ Prænestinâ, Gabios* XII. *Prænesta* XI. Itinerariæ Antonini Tabulæ, ſive Antonini, quod appellant, Itine-

10. *L.* 5.

11. *L.* 4.

12. *Bell. Civ. L.* 5.

nerarium: *Prænestinâ; ab Urbe Gabios* XV. *Prænestе* XI. Ex his itaque omnibus Veterum testimoniis, Gabios Viâ Prænestinâ sitos, circa Viæ fere medium, habemus. Nam licet Antonini Tabulæ Gabios milliario Prænestinæ Viæ quintodecimo constituant, id per Librariorum incuriam, erroris irrepsisse, viri docti cum Cluverio contendunt; legendumque pro XV. autumant XI., aut ad summum XII. ut in aliis Vetustis Itinerariis Tabulis legitur. Verum cum hæ Itinerariæ Tabulæ in milliariorum numero notando variantes admodum & corruptissimæ passim deprendantur; non est cur ex illis stabile ac certum argumentum, pro distantia Gabiorum ab Roma definienda, sollicite admodum & anxie quæramus. Ego quidem in Divæ Symphorosæ & Sociorum describenda Vita, Gabios plusquam mille passus tredecim quod quidam asseverare videbantur, Roma distasse, scripsi; Antonini, aliorumque post ipsum, auctoritatem secutus. Ceterum, etiamsi æqualia omnino Gabiis Romam, Gabiisque Prænestе distantia spatia Veteres metiti fuissent, (quod tamen ex ipsis Tabulis, non omnium fuisse, vides) adhuc Gabiorum ab Roma distantia nobis incerta foret; cum ipsa urbis Prænestinæ distantia plurimum apud antiquos Scriptores variaverit. ut nos superioris initio Libri fuse ostendimus.

Hæc incertitudo Posteros excisi jam Gabiorum oppidi vestigia quærentes, ut locum eorumdem potissimum determinarent, in varias de eorum

situ

ſitu ſententias diſtraxit. Alii enim, Gabios oppidum modo *Gallicanum* appellatum, dixerunt. Alii oppidum aliud cognomento *Zagarolo*. Alii, Gabios fuiſſe prope Diverſorium, quod modo eſt in Via Prænestina ſeu Lavicana, vulgo *L'Oſtaria del Finocchio*; alii denique aliud prope Diverſorium in antiqua Via Prænestina, cui nomen *l'Oſtaria di Pantano*, aut *Oſtaria* ſimpliciter. in qua ſententia omnium forte veriſimillima fuiſſe deprendimus Holſtenium, Fabrettum, Eſchinardum & Ametum, alioſque recentiores fere omnes. Et hæc quidem loca omnia in Agro Gabino fuere certo certius, & circa Gabios; quænam vero in illis potiſſimum ipſius Gabinæ Urbis ſedes, adhuc incertum. Nullus enim, diſſentientium auctorum, argumentum vel unum unicum affert, quo ſanum hominem in ſuam deſcendere ſententiam cogat; verum incerta omnia, multumque adhuc in contrarium dubitationi locum concedentia. Qui enim Gabios eo loco, ubi nunc Gallicanum oppidum eſt, collocatos ſcripſerunt, hi diſtantiam Gabiorum ab Urbe Roma, juxta Antoninum, ſpectaverunt. Rurſum, nominis, forte, ab antiquiſſimis Gabiorum auctoribus Gallatio & Bio reſpexerunt affinitatem. Demum, cum circa Viam Prænestinam, in qua certiſſime Gabii olim poſiti, oppidum aliud nullum propius invenirent, cui Gabiorum ſedis ſitus magis congrueret, ut illis quidem videbatur, quam recens oppidum Gallicanum; huic eam gloriam facile tribuerunt;

cum e ruinis veteris alicujus oppidi creviſſe illud, ut paſſim in aliis videmus, pro certo haberent. At Gabii in ipſo Prænestinæ Viæ limite ſive tramite fuerunt. Viaque hæc ipſam Gabiorum urbem mediam tranſibat. quod de Gallicano oppido, peculiari, ac deciſo undique in Colle conſtituto, & ad ſiniſtrum Prænestinæ Viæ latus collocato, pluſque quam mille paſſibus ab ea diſtante, convenire omnino non poteſt. Quodque, caput eſt, diſtat Gallicanum Româ duplo magis quam ab Prænestina Urbe; & tamen Gabii æquo ſpatio Româ, & Prænesſte diſtabant.

Jam vero, qui Gabiorum ſedem oppidum *Zagarolo* conſtituunt, ii pro ſua ſtabilienda ſententia argumenta certiora non proferunt. Lapidem quidem adducunt extantem in oppido *Zagarolo*, in quo literæ

SEN. POP. Q. GAB.

13. *Diſſert.* 3. *de Aquæduct.* n. 1316. Adverſus hos acriter pugnavit Fabrettus. 13. eum lapidem aliunde in oppidum translatum contendens; illa propter argumenta, quæ nos hucuſque diſcuſſimus. De Viæ ſcilicet Prænestinæ tramite, in quo olim Gabii, & ab quo longius quam Gallicanum, oppidum recens *Zagarolo* recedit. Quid quod multo minus quam Gallicano poteſt huic oppido Gabiorum ſedes aptari, exinde, quod Gabii æquo ſpatio Romam inter & Prænesſte erant; & *Zagarolo* tribus fere Prænesſte milliariis tantum diſtare videmus, cum Româ ſexdecim aut ſeptemdecim diſtet.

De-

Denique nulla in hoc oppido, præter mobilium lapidum, & ex Gabino Agro, in quo collocatum id non negamus, eo adductorum, inſtabile teſtimonium, nulla, inquam, in hoc oppido Vetuſtatis argumenta videmus. quæ in tantæ tamque vaſtæ olim Urbis ruina, quemadmodum Gabios hiſtorici fuiſſe memorant, nulla omnino ſaltem defoſſa rudera, fodientibus ad nova ædificia, quæ apparerent, ſuperfuiſſe, prorſus incredibile eſt. Veriſimillimum itaque cum Holſtenio ceteriſque recitatis auctoribus dicimus, Gabiorum ſedem haud longe a Diverſorio Paludis vulgo *L'Oſteria di Pantano* extitiſſe, in Via Prænestina; aliqua ſaltem ſui parte, quamvis reliquis hinc atque hinc longius ab ea receſſerit, utpote urbs populoſa & ampla, teſte Dionyſio: nempe circa Vereſim amnem, nunc *Oſa*, in collibus, ubi nunc Caſtelli Sancti Juliani rudera ad ſiniſtrum Viæ Prænestinæ, Roma Prænestе contendentibus, latus. haud ita procul a Gabino Lacu, nobis *di Caſtiglione*, circa Aquæ Felicis fontes, & pontem vulgo *del Fico*, ut quidem in ſua Cingulana Tabula Eſchinardus, & poſtea illum ſecutus Ametus in ſua Latii deſcriptione, collocaverunt. Ceterum ſitus, quem Gabiis aſſignavit Cluverius, diligentiſſimus ceteroquin Locorum veſtigator, nimis ipſe quoque abducitur a Via Prænestina. ait enim eruditiſſimus Vir, Gabiorum rudera exiſtimaſſe ſe illa, quæ circa Diverſorium *Del Finocchio* vulgo appellatum, ſparſa nunc cernuntur. quod diverſo-

rium ultra Prænestinam, Tusculum euntibus ab Tibure, Viam occurrit. Ubi quamvis instratæ antiquæ Viæ exiguæ quædam reliquiæ nobis quoque fere singulis annis videantur, ea loca obeuntibus; non tamen Gabiorum eam sedem fuisse antiquitus, illæ evicerint: cum & Viatria & Diverticula Consulares primarias Vias intersecantia, & ad magnificas Veterum Villas ducentia, eodem, quo ipsæ Primariæ Viæ, lapide insterni sæpissime consueverint.

Denique non omittendum, quod vir celeberrimus Daniel Paperbrochius [14] noster in Actis Sanctorum illustratis, ad diem Junii mensis decimam, quæ Sancto Getulio-Zotico Tiburtino & sociis MM. sacra est, annotavit; Gabios olim corrupte appellatos *Gavis*; & eo loco stetisse, qui nunc dicitur *CampoGabio*. & id ex Kircherio in sui Latii parte quarta cap. 1. eruisse dixit. Cujus tamen appellationis mihi, perveștiganti licet sæpius, vestigium nullum aut indicium unquam occurrit.

14. *Tom. 2. Mens. Jun.*

CA-

CAPUT II.

De Gabiorum rebus gestis, & interitu.

QUAMVIS priores Albanorum regno Gabii fuerint; ac merito, propterea, Albanos eorum Conditores & Auctores extitisse, negaverimus; Coloniam tamen Albanorum fuisse Gabios, negare minime possumus. Nam, præter Virgilii illud testimonium de Albanis, *Hi Tibi Nomentum & Gabios*; & Servii in hunc locum auctoritas, asserentis, eas urbes omnes, quas ibi nominavit Virgilius, Albanorum Colonias fuisse; idem diserte prodidit Dionysius. 1. *Oppidum erat Latinorum Gentis, Albanorum Colonia, Viâ Prænestinâ, centum stadiis ab Roma dissitum, quod Gabios appellabant.* Floruisse hanc urbem omni disciplinarum genere, ac præsertim Græcarum, inde accepimus; quod Romulus ac Remus a multis Scriptoribus educati traduntur, Gabiis, in omni genere disciplinarum atque artium, præsertim Græcarum. Ita Dionysius de illis 2. locutus: *Amotos a nutricis uberibus pueros, ajunt, Gabios, oppidum haud procul a Palantio dissitum, a nutriciis deportatos fuisse; uti Græcis disciplinis imbuerentur.* Et Plutarchus in Romulo: *Faustulus Amulii subulcus infantes clam omnibus sustulit. Alii tamen veritati magis consona referunt: conscio Numitore, & alimenta suppeditante secreto nutriciis, pueros literis omnique liberali*

1. L. 4.

2. L. 1.

di-

diſciplina Gabiis inſtitutos atque excultos fuiſſe. Aſſonat Feſtus, pleroſque Scriptores narrationis hujuſmodi auctores fuiſſe affirmans: *Diocles Peparethius ait, repertos Accam Laurentiam, Fauſtuli uxorem, educaſſe. Plerique tamen, conſcio & alimenta præbente Numitore, nutritos, ajunt. quod Ilia, ex Marte ſe peperiſſe eos, adſeverabat: ac ſecreto literis omnique liberali diſciplina Gabiis inſtitutos, atque excultos fuiſſe*. Denique Breviator Stephani idem confirmavit; quamquam pro *Gabiis*, *Tabios* per errorem vel ipſe, vel certe ejus Librarii & Excuſores, ſcripſerint. Inquit enim: *Tabii oppidum Italiæ, in quo Remus educatus*. Ad quam horum Gemellorum, qui ſemper habiti ſunt Romæ Conditores, Gabiis ſuſceptam educationem, forte reſpexit Horatius, dum epiſtola libri ſecundi altera ad Julium Florum ſcripſit:

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis, & tecum ſic agat; Hic &
Candidus, & talos a vertice pulcher ad imos
Fiet eritque tuus nummorum millibus octo:
Verna miniſteriis, ad nutus aptus heriles:
Litterulis Græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet: argilla quidvis imitaberis uda.
Quin etiam canet, indoctum, ſed dulce bibenti.

Cetera. Itaque, Romanæ Urbis Conditoribus diſciplinas tradidiſſe, quibus deinde tot præclara geſſerunt, præcipue Romulus, ingens Gabiorum gloria fuerit. Albanorum deinde imperio, Albâ dirutâ,

tâ, Romam translato, Gabii eorumdem Colonia cum ceteris, Romanis Regibus paruit. Quamquam adeo invitis animis, ut defectionem semper spectarent; Tarquinioque Superbo Romanorum Rege ultimo, in apertum contra Romanos bellum desciverint; tantumque Romanis negocium facessiverint, ut expugnari nisi per dolum malum, nunquam potuerint. Celeberrima fuit in tota Romana Historia Gabiorum hæc dolosa & crudelis ab Tarquinio habita expugnatio. Eam Dionysius, 3. Livius, Valerius-Maximus, ceterique Romanarum rerum Historici late persecuti sunt; Ovidiusque suis Fastis inseruit. Nos ex omnibus, quæ peculiaria erunt eligentes concinnantesque, narrationem nostram sic contexemus.

3. *Liv. L. 1. Dionys. L. 4. Val. Max. L. 7. c. 4. Ovid. Fast. 2.*

Cum Svessam Pometiam incredibilium opum urbem, a qua deinde Ager Pometinus sive Pontinus, & Pomptinæ seu Pontinæ Paludes traxere nomen, Rex Tarquinius cognomento Superbus excidisset; &, ditissima præda capta Capitolinum Jovi templum de manubiis magnificentissime ædificaret; quies interim ab Sabinis, Latinis quoque ceteris erat. Verum Superbæ regis menti quies nulla. sed industrias omnes & dolos, quibus vicinas fœderatas Civitates, seu vi, seu dolo, suæ ditionis faceret, noctuque diuque excogitabat. Urbs erat Latini nominis Albanorum Colonia Gabii, Viâ Prænestinâ ad centesimum ab Roma stadium. hæc Dionysii Liviique ætate, ac ferme sub Augusti & Tibe-

berii imperio, ea tantum parte habitabatur, quæ ad publicam viam obverſa diverſoriis frequentabatur, ceteris dirutis; tunc vero ſub Tarquinii regno Urbs fuit populoſa, & nulli ſecunda magnitudine. quemadmodum ſe conjecturam ſumſiſſe teſtificatur Dionyſius, e ruinis ædium paſſim ævo ſuo extantibus, & mœnium ambitu ſuperſtite, parte ſui maxima. Eo confluxerant quidam e Sveſſa Pometia profugi, quo tempore Tarquinius eam vaſtaverat. Præter hos, multi etiam Romani exules Gabios convenerant; adeo vicinam Civitatem. nam hujuſmodi primis illis temporibus exilia Romanorum fuere. Vicina Urbi oppida, Ardea Camillo, Lanuvium illi qui pugno Tribunum plebis violaverat, Tibur tibicinibus Urbe pulſis edicto. Unde Ovidius tam longe ipſe in exilium amandatus ingemuit: *exilium quodam tempore Tibur erat*. Hæ namque urbes, quamvis Romæ viciniſſimæ ac ferme ſummœnianæ, ſui tamen juris, extraque Romanorum ditionem, tunc erant. Itaque Pometini & Romani exules Superbi Regis injurias ulturi, Gabinos orando obteſtandoque ut communiter ab iniquo tyranno omnes ſeſe vindicarent; multaque pollicitando, ſi ope ipſorum reſtituerentur in patriam, facileque opprimi Tyrannum poſſe oſtendentes; Urbanis quoque Tarquiniorum tyrannidis impatientia jamdiu defectionem ſpectantibus, auxilia conſociaturis; tandem perſuaſerunt, ut arma ſumerent: promtis ad id etiam Volſcorum animis, qui & ipſi

per

per Legatos invitaverant eos, ad ſocietatem, bellumque inferendum Tarquinio. Poſt hæc, multæ utrinque incurſiones in ſolum hoſticum factæ ſunt; nunc prædatoria manu, nunc totis exercitibus, fortuna ſæpe variante. dum, modo Gabini Romanos fugatos ad Portas uſque Romanas perſequuntur, multiſque captis, agros populantur intrepide: modo, verſa vice, Gabini profligati, & in ſuam urbem compulſi, captivos & prædas ex agris ſuis abactas ſpectare coguntur e mœnibus. Quod cum aſſidue ſine ulla ceſſatione fieret; neceſſe utrique habuere, opportunis communitis locis, præſidia ſuorum per agros diſponere, quo agreſtes ab aſſiduis populationibus vel ex improviſo deprenſi & correpti profugerent. unde ſi quos prædones obſervaſſent aut milites a reliquo exercitu avulſos palanteſque, ſecure, ut fit in populationibus, invaſos repente contrucidabant. idem metus utroſque coegit, ſi qua parte viderentur mœnia hoſtibus eſſe obnoxia facile per ſcalas evaſuris ad ſummum, altius attollere, foſſaque circumducta periculum longius propulſare. Occupatior tamen in hoc negotio Tarquinius fuit, & partem urbis Romæ, quæ Flaminiam inter, ſeu, ut tunc vocabatur, Flumentanam Portam, atque Exquilinam, ad Gabiuſam uſque, quæ Gabinam regionem ſpectabat, contracta operarum multitudine, muniit, foſſa latiore reddita, muriſque altioribus; additis per intervalla modica propugnaculis: quod ea pars videretur in-

firmior ; reliquis ſatis tutis & inacceſſibilibus . itaque , quod in diuturnis bellis ſolet , tunc quoque accidit ; ut , dum vaſtationibus continuis ager incultus deſeritur , annonæ penuria uterque populus laboraret . nec in futurum ſpes eſſet melior , quatenus æterna ipſa odia futura videbantur . Major tamen caritas Romæ , quam Gabiis fuit . plebſque egena plurimum , tum, præter publica Cloacarum, Templorum , aliorumque Operum, quæ Tarquinius urgebat , onera, immaneſque labores, etiam fame oppreſſa , opus eſſe pacem cum Gabinis componere , ac bellum quibuſcumque tandem conditionibus finire , aperte jam clamitabat . Quamobrem , cum anxius Tarquinius , & neque ignominioſam pacem , neque belli moras ſuſtinens , multa commenta tentaret , doloſque verſaret varios ; Sextus , natorum ejus maximus , ut ait Dionyſius (trium minimus , ut Livius , & Ovidius) communicato cum ſolo patre conſilio , quamvis videretur conatus oppidò periculoſus & audax , ſed qui poſſet ſuccedere , impetrato tamen ejus conſenſu , fingit , ſe offendiſſe patrem , quod ipſe finiendum bellum contenderat : utque fraudi majorem faceret fidem , virgis ſe cædi publice in foro Romano permiſit , immo perſuaſit ; aliiſque palam affici contumeliis , quo latius ac veriſimilius injuriarum a patre acceptarum fama ſpargeretur ; adque ipſos Gabinos , quos fallere ſibi deſtinaverat , indubie perveniret . Tantum in furentis ambitione hominis animo doli potuerunt ! Quibus

bus peractis, Sextus e publico se subduxit, pulsumque se Roma per patrem simulans, & hostiliter actum; de quæsita latebra primum fidissimos amicorum ad Gabinos mittit, qui clam indicarent, velle eum contra patrem bellum gerere, dummodo fidem viciſſim ab illis acciperet, sicut ceteri acceperant Romani exules, Gabinos numquam in Tarquinii patris potestatem Sextum filium tradituros; quidquid tandem, quocumque eventu, illos Rex posceret, aut iisdem polliceretur. Pergratum id Gabinis nuntium continuo fuisse, Dionysius narrat; certioremque Sextum eos reddidisse, paratos se jura, quæ debentur hospiti & supplici, servare omnia; atque ita juvenem, magnam transfugarum amicorum & clientum manum trahentem, quo facilius vere a patre defeciſſe crederetur, Gabios veniſſe; argenti quoque insuper multum attuliſſe secum. At Livius paullo aliter rem memoravit; ait nempe, Sextum, dolo jam cum Superbo composito, repente veluti anxia fuga delatum, Gabios, præcipiti simulato cursu, se contuliſſe, (noctu id feciſſe tradit Ovidius.) patris in se sævitiam intolerabilem queritando. Jam ab alienis in suos vertisse superbiam: & liberorum quoque frequentiæ tædere illum, ut quam in Curia solitudinem fecerit, domi quoque faciat: ne quam stirpem, ne quem heredem regni relinquat. Se quidem inter tela & gladios patris elapsum, nihil usquam sibi tutum nisi apud hostes L. Tarquinii fore credidisse. nam, ne

errarent, manere illos bellum, quamvis tunc positum simularetur; & per occasionem eum incautos invasurum. Quod si apud eos supplicibus locus non sit; pererraturum se omne Latium; Volscosque se inde & Æquos & Hernicos petiturum: donec ad eos perveniat, qui a patrum crudelibus atque impiis suppliciis tegere liberos sciant. Forsitan etiam ardoris aliquid ad bellum armaque se adversus superbissimum regem & ferociissimum populum inventurum. Cum, si nihil moverentur, infensus ira, porro inde abiturus videretur; benigne ab Gabinis excipitur. Vetant mirari, si, qualis Tarquinius rex in cives fuisset, qualis in socios, talis ad extremum in liberos esset. Gabinis vero gratum adventum ejus esse: futurumque brevi credere, ut illo adjuvante, ab portis Gabinis sub Romana mœnia bellum transferatur. Inde in Concilia publica, Sextum adhiberi; ubi, cum de aliis rebus assentire se veteribus Gabinis, diceret, quibus hæ notiores essent; ipse identidem belli auctor esse; in eo sibi præcipuam prudentiam assumere, quod utriusque populi vires nosset; sciretque invisam profecto superbiam regiam civibus esse, quam ferre ne liberi quidem potuissent. Ita cum sensim ad rebellandum primores Gabinorum incitaret; ipse cum promtissimis juvenum prædatum, atque in expeditiones iret; & dictis factisque ejus omnibus vana credulis Gabinis accresceret fides: dux, ad ultimum, belli deligitur. ibi, cum inscia multitudine quid agere-

tur,

tur, prælia parva Romam inter Gabioſque fierent, quibus plerumque Gabina res ſuperior eſſet; tum certatim ſummi infimique Gabinorum Sextum Tarquinium dono deûm ſibi miſſum ducem credere. Apud milites vero obeundo pericula ac labores, pariter prædam munifice largiendo, tanta charitate eſſe, ut non pater Tarquinius potentior Romæ, quam filius Gabiis foret. Porro callide, Tarquinios inter filium patremque convenerat; ut, quamquam Sextus excurſiones ac cædes in Romanos faceret, nullus tamen Romanorum, qui Tarquiniis amicus foret, vel periret, vel læderetur. nam pater, excompoſito, loca, quæ ille petiturus erat, nudabat præſidiis, & objiciebat ei trucidandos ſelectos e civibus, ut quiſque ſibi fuit ſuſpectiſſimus. Atque ita Sextus ab omnibus amicus fidus, & dux egregius habitus, redemtis etiam nonnullorum auro animis, Rei Gabinæ potens ipſe unice erat. Ea poteſtate per hos dolos atque præſtigias potitus, tempus jam rem agendi ratus, unum e famulis occulte mittit ad patrem, quid ſe facere vellet, ſciſcitatum; quandoquidem ipſe, quod vellet, poſſet. Rex hunc famulum, quia juſſa ſua ſcire nolebat, ne forte proderet, in ædium regiarum hortos perduxit. ibi ipſe inambulans ultro citroque, matura jam inter papavera, eminentiora ceteris capita baculo decutiebat. quo facto, quamvis ſæpius interrogatus, ſine reſponſo tamen nuntium ad filium Gabios remiſit. Thraſybulum Mileſium imi-

ta-

tatus, inquit Dionyſius; nam & ille olim a Periandro Corinthiorum tyranno per nuncium rogatus, quomodo firmiſſimum tenere poſſet imperium, nihil quidem voce reſpondit; tantum hominem, qui nuncius ad ſe venerat maturas per ſegetes euntem ſeſe comitari juſſit, & eminentiores ſpicas decerptas conterere, factumque domino ſuo referre. Ex ſimili Tarquinii facto, Sextus mente patris tunc intellecta, juberi ſe præminentiores Gabinorum tollere, concionem advocat. ibi præfatus, receptum ſe in fidem, una cum amicis, in periculo eſſe, ne a quibuſdam comprehenſus patri dedatur; ait, ſe paratum deponere imperium; priuſquam aliquid gravius patiatur: ſimulque lacrimabatur, ſortem ſuam miſerans, non aliter quam qui vere in extremo capitis verſantur diſcrimine. *Ut, qui conducti plorant in funere, dicunt ac faciunt prope plura dolentibus ex animo*, dixiſſet ad rem optime Horatius. Ita, concitata multitudine, ſciſcitantibus, quinam eſſent illi proditores; illuſtriſſimum ac potentiſſimum Gabinorum Antiſtium Petronem nominat, virum bello ac pace notæ in Republica induſtriæ. inficiante illo, & ut erat libera conſcientia, ad omnem inquiſitionem ſeſe præbente; ait ſe velle ædes ejus perſcrutari per quoſdam, atque interim cum illo in concione manere, donec perſcrutatores reverterentur. Et jam ſubornaverat pecunia corruptos quoſdam ejus ſervos, qui obſignatas a patre ſuo Superbo litteras domi deponerent, quibus Petroni

pa-

parabatur pernicies. quare missi ad ædes, quibus id, consentiente earum domino, mandatum fuit; repertas, ubi repositæ erant, in concionem protulerunt litteras. Erant autem obsignatæ epistolæ multæ, & in his una inscripta Antistio. Hanc Sextus aperuit dicens, se patris sigillum agnoscere, & Scribæ publico recitandam tradidit. Continebantur in ea Superbi mandata, ut vivum, si posset, filium in potestatem suam redigeret: sin minus, certe caput ejus abscissum mitteret. id si perfectum sibi redderet; tum vero daturum se ipsi ejusque adjutoribus, præter alias mercedes jam ante promissas, Civitatem Romanam; adscripturumque omnes Ordini Patricio; additurum domos, agros, aliaque multa & magna munera. His lectis, irritati Gabini Antistium inopinato casu attonitum, ac ne verbum quidem valentem dicere, conjectis in eum lapidibus obruunt. Ut Coriolano Antii accidisse, in Antiatibus memoravimus. Namque *Obruere ista solet manifestos pœna nocentes; publica cum lentam non capit ira moram*. Tum Gabini in proditorii consilii socios, inquisitionem & animadversionem Sexto committunt. Ille amicis tradita portarum custodia, ne qui reorum possent effugere; missis ad illustriorum domos satellitibus, multos bonos viros de medio sustulit. Interim tumultu, ut par erat, exorto Gabiis, Tarquinius per litteras monitus, iter ingressus est cum exercitu; & cum, intempesta nocte, perveniisset ad mœnia, paratos invenit, qui aper-

apertis portis se admitterent: atque ita sine vi aut labore Gabina Urbe potitus est. Id ubi cognitum; deplorantibus suam vicem omnibus, cædesque & captivitates, atque reliqua mala, ut in capta urbe a tyranno, expectantibus; vel si optime res caderet, servitutem, bonorum direptionem, similiaque animo præcipientibus; Tarquinius nihil horum, quæ metuebant, fecit: sævus alioqui, & in puniendis inimicis implacabilis. Neminem enim Gabinum interfecit, aut expulit patria; neminem pecuniis mulctavit, aut honoribus. Sed vocato in concionem populo, regem, non tyrannum, agens, ait, se & Civitatem eis reddere, & omnia bona habenda permittere, ut post hac, in sua potestate ac dignitate tuenda, uteretur eorum opera, quos arbitraretur, donatæ salutis, receptarumque facultatum, beneficio devinctos, sui suæque familiæ fidos custodes fore. Et ne solliciti Gabini essent, beneficium id fortasse non fore proprium atque perpetuum; ad omnem eorum ex animis dubitationem tollendam, scriptis legibus, quibus in fidem & amicitiam reciperentur, id fœdus inibi pro concione, super ardentes in aris victimas, jurejurando sancivit. mansitque diu ejusdem fœderis monumentum Romæ dedicatum in templo Jovis Fidei Præsidis (Sangum hunc alii nominaverunt) clypeus ligneus, indutus ejus bovis corio, qui tum mactatus est; in eoque antiquis formis leges fœderis litteræ continentes inscriptæ. His ita gestis, Sextoque filio

Re-

Rege Gabinis impoſito, Tarquinius Romam reduxit exercitum. Sic bellum Gabinum finitum eſt. Hæc ferme Dionyſius & Livius. Preſſius multo 4. Valerius Maximus rem eamdem memoravit, inquiens: *Sextus Tarquinius Tarquinii filius indigne ferens quod patris viribus expugnari Gabii nequirent; valentiorem armis excogitavit rationem, qua interceptum id oppidum Romano Imperio adjiceret. ſubito namque ſe ad Gabinos contulit; tanquam parentis ſævitiam & verbera, quæ voluntate ſua perpeſſus erat, fugiens. at paullatim uniuſcujuſque fictis & compoſitis blanditiis adliciendo benevolentiam, ut apud omnes plurimum poſſet, conſecutus; familiarem ſuum ad patrem miſit, indicaturum, quemadmodum in ſua manu haberet univerſa, & quæſiturum, quidnam fieri vellet. Juvenili calliditati ſenilis aſtutia reſpondit. Siquidem re eximia delectatus Tarquinius; fidei autem nuncii parum credens, nihil reſpondit. Sed ſeducto eo in hortum, maxima & altiſſima papaverum capita baculo decuſſit. Cognito adoleſcens ſilentio patris ſimul ac facto, cauſſam altioris argumenti pervidit: nec ignoravit, præcipi ſibi, ut excellentiſſimum quemque Gabinorum aut exilio amoveret, aut morte conſumeret. Ergo ſpoliatam bonis propugnatoribus civitatem tantum non vinctis manibus ei tradidit.* Preſſiſſime Ovidius, qui pro *papaveribus* a Superbo decuſſis *lilia* ſcripſit baculo fuiſſe percuſſa, ac dejecta. quod vel carminis cauſſa fecit, vel certe lilia cum papaveribus ab rege decuſſa Veterrimi Scriptores prodiderant; unde Dionyſius Livius & Valerius *papavera*,

4. *Lib. 7. c. 4.*

5. Faſtor. 2. Ovidius *lilia* deſcripſerunt. En hujus carmina 5.

Ultima Tarquinius Romanæ Gentis habebat
Regna; vir injuſtus, fortis ad arma tamen.
Ceperat hic alias, alias everterat Urbes:
Et Gabios turpi fecerat arte ſuos.
Namque trium minimus proles manifeſta Superbi,
In medios hoſtes nocte ſilente venit.
Nudarant gladios; occidite, dixit, inermem;
Hoc cupiant fratres, Tarquiniuſque pater.
Qui mea crudeli laceravit verbere terga,
(Dicere ut hoc poſſet, verbera paſſus erat.)
Luna fuit; ſpectant juvenem; gladioſque recondunt:
Tergaque, deducta veſte, notata vident.
Flent quoque, & ut ſecum tueatur bella, precantur:
Callidus ignaris annuit ille viris.
Jamque potens, miſſo, genitorem appellat, amico:
Perdendi Gabios quod ſibi monſtret iter?
Hortus odoratis ſuberat cultiſſimus herbis,
Sectus humum rivo lene ſonantis aquæ.
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit: & virga lilia ſumma metit.
Nuntius, ut rediit, decuſſaque lilia dixit;
Filius, agnoſco juſſa parentis, ait.
Nec mora: principibus cæſis ex Urbe Gabina,
Traduntur ducibus mœnia nuda ſuis.

Pœnas tamen brevi tam iniquæ proditionis, indignæque, atque alienæ penitus a Romano nomine & animo, Tarquinius uterque dedere. Nam Superbus quidem regno pulſus, cum ſæpe in illud reſti-

ſtitui tentaſſet incaſſum, in ignobili demum ſenectute, mœrore confectus Cumis inglorius exul, eſt mortuus. Sextus Filius Gabiorum vaferrimus ſimul & crudeliſſimus proditor, cum expugnato Romanæ Lucretiæ decore muliebri, Populi Romani in ſe ſuoſque, auctore Bruto, furorem concitaſſet; patria expulſus cum cognatis omnibus, ipſe Gabios tanquam in ſuum regnum profectus, ab ultoribus veterum ſimultatum, quas ſibi ipſe cædibus, rapiniſque concitaverat, eſt interfectus. Cujus ſupplíciis non debuit una parari ſimia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.

Poſt hæc Gabini eas ſubiere vices, quas ferme Latini reliqui, nunc fœderati ac ſocii Romano nomini, nunc defectores, & hoſtes. Civitate mox cum ceteris Romana donati ſunt; & ſuorum familias in Romanorum Civium Romæ incolentium nobiliſſimam quamque inſeruerunt. Quas inter *Gabina* fuit de patriæ nomine ſic appellata. Ex qua forte fuerit Aulus ille Gabinius, pro quo Ciceronis extat Oratio. Hujus quoque Gentis Libertorum meminit lapis Capuæ olim extans, & a Fabretto relatus 6. e ſchedis Barberinis: ſic:

6. *Pag.* 475. *n.* 122.

A. GABINIVS . A. L. FELIX
SIBI . ET
GABINIAE . A. F. CELSAE . FILIAE
P. VIBVLEIO . P. F. CELSO NEPOTI
NOVIAE A. L. PRIMAE . VXORI
A. GABINIO . A. L. HILARO
GABINIAE . A. L. IRENE
NOVIAE . Ↄ L. OPTATAE . L.
A. GABINIO . A. L. PHILEROTI

Ceterum poſt Allienſem Romanorum ab Gallis acceptam cladem; cum Galli ex ſoluta Capitolii obſidione reverterentur; inſignis fuit inter eos, circa
7. Lib. 5. Gabios, renovata pugna. De qua Livius, 7. *Juſtiore*, inquit, *altero prælio ad octavum lapidem Gabina Via, quo ſe ex fuga contulerant, ejuſdem ductu auſpicioque Camilli vincuntur: ibi cædes omnia obtinuit: caſtra capiuntur: & ne nuncius quidem cladis relictus.* Et bis idem repetens: *Quin*, inquit; *ipſi Galli, ſi offeran-*
8. Lib. 6. *tur* 8. *illo loco, ſe ita pugnaturos, ut Romæ pugnaverint in repetenda patria; ut poſtero die ad Gabios.* Demum de Camillo eodem locutus: *Deſcendit in equum; atque*
9. Lib. 22. *illo ipſo die media in* 9. *Urbe, & poſtero die circa Gabios, cecidit Gallorum Legiones.* Quod autem in Romanorum, ut plurimum, Gabini amicitia perſeverarent, infeſtos ſæpe habuere vicinos populos, qui Gabi-
10. Lib. 3. num agrum popularentur. De illis Livius idem, 10. *Lucretium*, inquit, *dum in Hernicis ſedet, prædonum agmen fefellit ſupra montes Prænestinos ductum. inde demiſſum in Campos, vaſtavere agros Prænestinum Gabinumque. Ex Gabino in Tuſculanos flexere Colles.* Bellis quoque Punicis ferventibus, Gabii furoris Annibalis non fuerunt expertes. Quamquam, qua potiſſimum id oppidum clade ipſe affecerit, Scriptores non prodiderunt. Crediderim, quod ſaluberrimum erat, Gabinos invadenti Annibali pacifice portas aperuiſſe; nec magnopere ab eo vexatos, eumdem Romam properantem, paullo poſt, volentem dimiſiſſe. De illo Livius: *Hannibal per Fruſinatem, Ferentinatem-*

temque, & Anagninum Agrum, in Lavicanum venit. inde Algido Tuſculum petiit. nec receptus mœnibus, infra Tuſculum dextrorſus, Gabios deſcendit. inde in Pupiniam exercitu demiſſo, octo millia paſſuum a Roma poſuit Caſtra.

Romanorum Colonia Gabii, deinde Municipium fuere. De Colonia teſtes proferuntur lapides, apud præſens oppidum *Zagarolo*, quod certe in Agro olim Gabino ſitum eſt, proſtantes, his notis inciſi. Alter quidem

C. ARVNCEIVS . C. F
COTTA
COLONIS . INCOLIS . HOSPITIB
ADVENTORIBVS . SERVISQ
EORVM
LAVATIONEM . EX . SVA . PECVNIA
GRATVITAM . IN . PERPETVOM . DEDIT .

Hunc lapidem in Agro Gabino, veteri fonti appoſitum ſub colle, clivo, vel tumulo, inventum Ligorius teſtificatur. Alter autem Coloniæ Gabinæ diſertius meminit 11.

11. *Ligor. v.* Gabii.

DIS MANIBVS
C. IVLIVS . C. F. AN . VESTER
MAGISTER . AVGVSTALIS
PATRONVS . COLONIAE . PIAE . GAB
SIBI . ET . SVIS . HAEREDIBVS . FECIT
IN . FR. P. XX. IN . AGR. PED. XXV.
D. D. LOC. DAT. EST
H. M. H. E. E. N. S

Quo tamen jure ac tempore, quibuſve auctoribus deducta hæc Colonia fuerit, altiſſimum apud Veteres Scriptores omnes ſilentium. De Municipio qui-

quidem Gabino Cicero, tanquam de loco ab incolis ferme penitus deſtituto tale protulit teſtimonium, in Oratione pro Plancio: *Niſi forte te Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat: quibus e municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur*. Exinde in exemplum deſertiſſimi loci adduci, per contemptum veluti, conſuevit. Poetarum, quibus id moris fuit, teſtimonia ſingula proferemus. Attamen, Triumviris Rempublicam adminiſtrantibus, Urbs Gabiorum medio ferme, Prænefte inter ac Romam, itinere, quod eſſet, ab Octavio & Antonio electa fuit, in qua uterque conveniret, diſceptaturus coram exercitu quiſque ſuo & Collegæ, de jure, quo concordes Rempublicam gubernarent. Quod tamen re non contigit; alterius inſidias utroque, ac maxime Antonio Octavii, pertimeſcente. Quæ nos in ſuperiori de Prænefinis libro fuſe ex Appiano commemoravimus. Ceterum de Gabiorum ſolitudine Propertius: 12.

12. *Lib.* 4. *el.* 1.

Quippe ſuburbanæ parva minus urbe Bovillæ,
Et, qui nunc nulli, maxima turba, Gabj.

Nullos tamen poetice dixit; cum certe Dionyſii teſtimonio, qui ferme Propertii æqualis aut ſuppar fuit, Gabiorum urbis pars, quæ Viam Gabinam tangebat, licet alibi deſerta, Diverſoriis tamen adhuc ſub Auguſto frequentaretur. *Vicum*, atque illum quidem deſertiſſimum appellavit Horatius 13.

13. *Ep.* XI. *L.* I.

Scis, Lebedus quam ſit Gabiis deſertior, atque
Fidenis vicus.

Le-

Leviſſimæ auctoritatis per Magiſtratus rempublicam Gabiis adminiſtratam, ad allatum certe Horatii locum reſpectans Juvenalis 14. ſignificavit, quos *Poteſtates* dicerent: 14. *Sat.* 10.

Hujus, qui trahitur prætextam ſumere mavis?
An Fidenarum, Gabiorumque eſſe Poteſtas;
Et de menſura jus dicere, vaſa minora
Frangere, pannoſus vacuis Ædilis Ulubris?

Diverſoria Gabina alibi innuit idem poeta, apud quæ pauperibus eo divertentibus peregrinis Balneola erant conductitia, quorum Locatores ſe Poetas jamjam facturos ait, cum Romæ nullo in precio poeſis eſſet; quam tamen ab Domitiano Cæſare adjutam ſubdit 15. 15. *Sat.* 7.

Et ſpes & ratio ſtudiorum in Cæſare tantum.
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit; cum jam celebres notique poetæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent. nec fœdum alii, nec turpe putarent
Præcones fieri; cum deſertis Aganippes
Vallibus, eſuriens migraret in atria Clio.

Alibi demum ait, Gabios locum ab ſtrepitu omni remotiſſimum fuiſſe, privatamque ibi vitam optime, omni procul moleſtia, a quolibet quæri poſſe. ita enim ex Umbricii amici Romam fugientis, & Urbanæ commorationis incommoda exaggerantis, perſona: 16. 16. *Sat.* 3.

Quis timet aut timuit gelida Prænefte ruinam?
Aut poſitis nemoroſa inter juga Volſiniis; aut

Sim-

Simplicibus Gabiis; aut proni Tiburis arce?

Quamquam vero Gabios appellando *ſimplices*, eorum, utpote deſerto & ruſtico vico, nullius ſumtûs aut apparatûs ſimplicem vitam victumque ſignificare Poetam voluiſſe, credibile ſit; forte nihilominus, & ad antiquam Gabiorum principum ſimplicitatem, ob quam a Sexto Tarquinio decepti olim fuerant dolo malo, aliquatenus eadem appellatione reſpexit. Solitudinis & interitûs Gabiorum urbis olim populoſæ, opulentæ, & potentia nulli Latinarum ſecundæ, cauſſas, bella Civilia fuiſſe, aperte Lucanus aſſeveravit. Præcipue cum tam obvia eſſet Gabina Civitas, ac fere, Præneſten inter & Romam, media, plano loco ſita, & in ipſo Viæ Conſularis Prænestinæ-Gabinæ tramite. Hæc Lucani Gabiorum, ceterarumque celebrium olim Latinarum urbium deſolationis deploratio: 17.

17. *Luc. Lib. 7.*

Ergo utrimque pari concurrunt agmina motu
Irarum. metus hos, regni ſpes excitat illos.
Hæ facient dextræ quidquid non expleat ætas
Ulla, nec humanum reparet genus omnibus annis;
Ut vacet a ferro, gentes Mars iſte futuras
Obruet; & populos ævi venientis in orbem,
Erepto natale, feret; tunc omne Latinum
Fabula nomen erit; Gabios, Vejoſque, Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monſtrare ruinæ,
Albanoſque Lares, Laurentinoſque Penates;
Rus vacuum; quod non habitet, niſi nocte coacta;
Invitus, queſtuſque Numam juſſiſſe, Senator.

Non

Non ætas hæc carpſit edax, monumentaque rerum
Putria. deſtituit crimen civile. videmus
Tot vacuas urbes.

Paucula, nihilominus, tantas poſt ruinas, totque poſt ſæcula, e voraciſſimis temporis eruta faucibus, Gabiorum monumenta, quæ adhuc ſuperſunt, exiguo huic de Gabinis Libello abſolvendo ſingula mox adjiciemus.

CAPUT III.

De reliquis Gabiorum monumentis.

TQUE in primis, Gabina inter monumenta, templum Junonis Gabinæ ſeſe offert memorandum. De illo Virgilius, & ejus Commentator Servius in delectu Latinorum adverſus Æneam: 1.

1. *Lib.* 7.

Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt. quos dives Anagnia paſcit.

Et Virgilii imitator religioſiſſimus Silius, de Annibalis per Latium itineribus

2. *Nec amœna retentant* 2. *Lib.* 12.
Algida, nec juxta Junonis tecta Gabinæ.

Quare Junonem Gabiis, vetuſtiſſimis ſæculis, templo celeberrimo religioſiſſime cultam perhibent. Quod etiam ſub Cæſaribus aliquandiu manſiſſe,

effoſſi lapides in Agro Gabino eruti confirmant. Hi ſic habent

I.

IVNONI GABINAE AVFVSTIANAE
M. AVFVSTIVS . M. F. ANIEN
VERECVNDVS . ET . Q. AVFVSTIVS . Q. F. ANIEN
ITALICVS . MIL. COH. PRAET
D . D

II.

IVNONI GABINAE ALBANAE
IVN. AVFVSTIVS . IVN. F. ANIEN. MESSIVS
ET . IVNIA . AVFVSTIA
D . D

Venus quoque *Gabina* aliquando dicta eſt & Albana ſimul. quod habet lapis in agro Albano olim poſitus, apud Tomaſinum recenſitus 3.

3. *De Donar. c.* 10.

VENERI . GABINAE
ET . ALBANAE . SANCTAE
PRO . SALVTE . L.
IVNII . PRIMOGENI
ET . SECVNDINO . FILIO
L. IVNIVS FELIX PATR. CVPEDINIS
II AER. PRO . SALVTE . POSVIT

Fuit autem Venus Gabina, quæ Gabiis in templo ſibi dedicato colebatur; quemadmodum Albana, quæ in Agro Albano, Albanum circa Lacum. Sed & Apollinis Templum extitiſſe Gabiis colligimus de Livio, ac Julio Obſequente, Livianorum prodigiorum excerptore, ajentibus; 4. Templum Apollinis Gabiis de cælo tactum. Ruſtica item ſacella in prædiis circa Romanorum Villas in Agro Gabino ſitas, diis prædiorum tutoribus fuerunt; quorum detecti lapides ſic meminere. 5.

4. *Dec.* 5. *L.* 1. *Jul. Obſeq. de Prodig. p. mihi* 62.

5. *Ap. Ligor.*

I. PO-

I.

POMONA : POMIFERA
C. PRINIVS . TITINIANVS
PRAEFECTVS . PRAET
D. D

II.

CERERI CONSERVAT
HORREORVM IABASIANORVM
L. CALPHVRNIVS . L. LIB. IABASVS
SACRVM

III.

LIBERO . PATRI . CONSENTI . SACRVM
T. CLAVDIVS . T. AVGVSTI . LIBER . MELANTHRIVS
PROC. VICI QVADRATI

IV.

EMITIAN. CERERI . RVRI . CONSERVAT. SACRVM
L. EMITIVS . L. L. OLYMPVS . ET . CN
EMITIVS . L. AELI . AVG. LIBERT. POLYCHRITVS

V.

LIBERO PATRI SAC
Q. AVFVSTIVS . Q. F. ITALICVS
COH. XI. AVRELI . SVA . PEC

In his lapidibus eruendis teſtatur Ligorius, ſe plures horum deorum ſtatuas, mutilas ut plurimum, detexiſſe, precioſo tamen e marmore, elegantique opere elaboratas; quæ, ut fit, diverſas quærere terras juſſæ ab inventoribus ſunt. Quare Gabinum Agrum nobilibus Romanorum villis frequentem cognoſcimus; illis præcipue, quæ Gabinam Viam tangerent. Quas inter, Aufuſtiorum celeberrima fuiſſe videtur. Cujus e ruinis, præter tres jam allatas dedicationes, Junoni Gabinæ duas, Libero ter-

tiam factas; quartus quoque ſepulcralis lapis effoſſus fuit, in hæc verba:

DIS . MANIB. SAC
AVFVSTIAE . SEVERAE . PIISSIMAE . FIDELIS
SIMAE . VIX. ANN. XXX.
INTEGER. INTEG
Q. AVFVSTIVS . Q. F. ANIEN. ITALICVS
T. F. C

Aufuſtiam hanc Gentem Gabiis oriundam, aliquis poſſet dubitare, cum in Agro Gabino tot ejus monumenta detecta pervideat. Verum antiquiſſimus ab ipſa Ciceronis ætate Gabiorum interitus decus hoc nobilium familiarum Gabinæ urbi abjudicare omnino videtur. Quare de illa, deque aliis mox recenſendis dicendum potius, Romanas illas, prædia in agro Gabino poſſediſſe, ubi earum pariter, de more, ſepulcra conſtructa erant. Hypſæjam gentem Gabiis meliore jure aſſeruiſſe videbitur lapis Romæ in Regione Viæ Appiæ repertus, ita notatus.

DIS MAN
C. HYPSAEIVS . C. F. PAL. ALBVS
AEDILIS . PLEBIS . ET . M. HYPSAEIVS
C. F. AESQVIL. GABINVS
AED. CVRVL. FECERVNT.

Verum, vox *Gabinus* neque *nomen* neque *Gentem* ſive *Familiam* hoc loci ſignificabat. Sed *cognomen* aut *agnomen*, per quod unuſquiſque ab ceteris ſuæ familiæ diſtingueretur. Gens autem, ſive *Familia* hujus, *Hypſæja* potius fuit. quæ Plautiorum plurium fuit appellatio, quos vel Romanos tantum, vel certe Tibure, non Gabiis, ortos fuiſſe, cogno-

vi-

vimus. Quod pariter de Aulo Gabinio illo dicendum eſt, quem Cicero defendit adverſus Memmium, qui eum accuſabat: licet Gabinius idem Conſul cum L.Calpurnio Piſone V.C. DCLXXXXVI. Ciceronem in exilium miſiſſet; procurante quammaxime atque inſtigante P. Clodio, Ciceroni infenſiſſimo. ſcilicet hic Gabinius, *Aulus Gabinius* tantum etiam in Faſtis Conſularibus nominatur. Verum in dubio relinquitur, num vox *Gabinius* Gentis & Familiæ nomen deſignet, an agnomen fuerit Auli hujus Conſulis. Ligorius quidem hunc ex Gabinia Gente Gabiis oriunda fuiſſe, memoriæ prodidit, ipſumque in nummis Jovis & Apollinis effigies inſculpi juſſiſſe, quod Gabiorum patriæ olim ſuæ Numina hæc tutelaria forent. Verum, ultra lapidum recenſionem, Ligorii unius auctoritatem non morer. In eo quidem Ligorium libenter audiam, & ſequar ſecurus, quod narrat in Via Gabina prope Gabinum Lacum Villam fuiſſe *Gabionetam* dictam; quemadmodum ex erutis ibidem fragmentis lapidum oculato ſibi teſti patuiſſe, dicit. ejus quoque dominum prodens iiſdem e fragmentis; Cajum, ſcilicet Gabinium Nattam Ædilem Curulem. Villæ delicias multas, veſtigia ductuum Aquæ Appiæ totam irrigantis, ſignificabant. Quare fontes ibidem plurimis ſtatuis ornatiſſimi, quas inter Polyphemi ſtatua effoſſa, ſedentis in rupe, & ſaxum immane ingens in rivalem Acim projicientis; qui, juxta fabulas, mutatus in fontem eſt.

Ga-

Gabina inter monumenta, & illud præcipuum & antiquiſſimum, quod *Cinctus Gabinus* eſt appellatus. Fuit hic colligendæ togæ modus quidam, & in breve cogendæ, quo ea induti expeditiores ad aliquid præſtandum evaderent. Memorat in primis Virgilius, Romanum morem indicendi belli ab primis uſque Latinis regibus derivans; blandiendi Romanis gratia, aut certe ſic e Veterum monumentis edoctus: 6.

6. L. 7. *Sunt geminæ Belli Portæ; ſic nomine dicunt,*
Religione ſacræ, & ſævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora: nec cuſtos abſiſtit limine Janus.
Has, ubi certa ſedet Patribus ſententia pugnæ:
Ipſe, Quirinali trabea CINCTUQUE GABINO
Inſignis, reſerat ſtridentia limina Conſul.

Fuit autem *Cinctus Gabinus* non quidem zona aliqua, verum cingendæ, ut ajebam, togæ peculiaris quidam ritus a Gabinis Populis derivatus. nempe, Ferrarii teſtimonio, qui rem Veſtiariam Antiquorum omnem accuratiſſime eſt perſecutus, cum togæ lacinia, quæ ſiniſtro brachio, vulgo, imponebatur, inde ſubducta, in tergum ita rejiciebatur, ut contracta retraheretur ad pectus, atque ita in nodum necteretur: qui nodus ſive cinctus togam contrahebat, brevioremque & ſtrictiorem reddebat. Nomen & originem derivat merito Servius a Gabiis, de quibus agimus in præſentia: ubi, cum Cives ſacris operarentur togati, ſubito ingruentibus

bus hoſtibus; cum ſpatium togas deponendi, & militaria ſagula ſumendi non darent; ſic ſuccinctis togis contractiſque, Gabini in aciem pugnamque proceſſere. More deinde a Romanis, tanquam ſacro, mutuato, quod patriæ defendendæ ſingularem amorem ritus ille præſeferret; eumdem ſæpius adhibuere. Nam & Cinctu Gabino indutus Conſul bella indicebat; & duces atque imperatores eodem cinctu ornati ſpolia hoſtium cremabant; & ſacra multa in bello faciebant; ac demum eo Cinctu caput obvoluti ſeſe pro patria, in hoſtium manus projicientes, devovebant; ut ab Deciis factum, ſignanter, Hiſtorici prodiderunt. Antiquos etiam Romanorum togis Gabino Cinctu compoſitis inceſſiſſe aliquando, innuiſſe videtur Horatius, de Vocabulorum Latinæ Linguæ ætatibus diſſerens 7.

7. Hor. in Arte.

Verbaque Cinctutis non exaudita Cethegis

ſcilicet indutis toga Gabino Cinctu conſtricta; niſi tamen poeta *cinctutos* poſuit pro *alte præcinctos*; quod ſtrenuum & gnavum virum ſignificabat. quemadmodum *laxe præcinctus* & *diſcinctus* ignavum hominem vulgo præſeferebat, Horatii ejuſdem teſtimoniis id evincentibus: 8.

8. Satyr. 5. lib. 1.

Hoc iter ignavi diviſimus; altius ac nos
Præcinctis unum. minus eſt gravis Appia tardis.

Atque alibi

Non pudet in morem diſcincti vivere Nattæ?

Sunt qui Gabinum Agrum ſaxifodinis plurimis abundaſſe tradant, uſque adeo, ut nullæ tantum Ur-

Urbanis ædificiis ſaxorum ſuffecerint. Verum decus hoc Tiburtini Agri jamdiu eſt. *Gabinum* quidem *Lacum*, qui modo accolis eſt *Il Lago di Caſtiglione*, ex vicino prædio cognomine dictus, appellant Holſtenius, Eſchinardus, Ametus, aliique. & merito quidem, ex Gabiorum viciniſſima, ita dixerim, vicinitate. Hunc ad ſiniſtrum Viæ Gabinæ Prænestinæ latus iidem auctores deſignant.

Fuit etiam Via, quæ ſuperiore libro a nobis Prænestina dicta eſt, *Gabina* pariter appellata; qua parte ab Urbe Gabios uſque, centum ſtadiorum ſpatio tendebat. Hanc deſcripſimus in Prænestinis. nunc tantum addimus, eam & *Gabinam*, & *Gavinam* & *Gabjuſam* nominatam; Portæque in Urbe Roma cognomen dediſſe, quæ *Porta Gabjuſa* dicta fuit, & *Metrodii*, & *Metronii* etiam Porta, teſte Donato. *Flaviam* pariter Viam dictam referunt, poſtquam Flavius Veſpaſianus illam rurſus inſtravit lapide, milliariaſque Columnas cum ſui memoria circa eam diſpoſuit. Ad Octavum lapidem Viâ Gabinâ Camillum Gallos, ex obſidione Capitolii revertentes, cecidiſſe ad unum omnes, jam ex Livio recenſuimus. Viæ Gabinæ meminit quoque lapis apud Gruterum, qui illam a Publio Scaptio refectam, atque ornatam ſua pecunia, dicit.

9. P. SCAPTIVS . P. F
GABINAM . VIAM . ORNARI . AC . REFICI
SVA . IMPENSA . CVRAVIT

9. *Fol.* 150.

Viæ Gabinæ, ac Gabiuſæ Portæ, meminit 10. Livius, illam de Cælo tactam, hac Romanos ſtetiſſe, com-

10. *Donat. Rom. Vet. & Rec. l. 3. c. 21. p. 75.*

commemorans. Gabiuſam Portam eam fuiſſe, quæ nunc clauſa cernitur, Cælimontanam inter, ſive Sancti Joannis, & Latinam, plerique apud Marlianum cenſuerunt. Denique diverſoria multa Viâ Gabinâ & circa illam fuiſſe, æqua ubi libertas, communia pocula, lectus non alius cuiquam, aut menſa remotior ulli. Quapropter periculoſiſſimum, tunc temporis, Gabios locum, matronarum pudicitiæ, innuit Juvenalis de feminarum moribus ediſſerens: 11.

11. *Sat. 6.*

Magna tamen fama eſt cujuſdam rure paterno
Viventis; vivat Gabiis ut vixit in agro,
Vivat Fidenis; & agello credo paterno.

In agro Gabino circa oppidum *Zagarolo* Cnei Arrii Aximii, & Caji Arrii Clementis ſub ſtatua appoſitæ baſes detectæ ſunt ſic inſcriptæ 12.

12. *Fabrett. inſcript. c. 3. fol. 197.*

I.

CN. ARRIO . CN. F. PVB
AXIMIO
III. VIR. NAVAL. PROC
AVGG. N.N. IN . BAETIC
ET . IN . ILLYRICO . ET
HISPAN. CIT. ET . VLTE
HEREDIT. CADVC. PATRONO
ORD. ET . COLON
PLEBS . HON. VSI . D. D
ITA . VTIQVE . . . . . .
CAVSSA . . . . . .
CONTEN . . . . . .
PLEBEI . . . . . .
VIA . LA . . . . STR. . . . . .
CVR . . . . . .

II.

13. *Ligor. v. Tribu. Cornelia.*

13 C. ARRIO C. F. CORNEL
CLEMENTI
CVRATORI MVNICIP
PRIVERNATIS

Eodem in Agro apud idem oppidum Caji Seji sepulcralis lapis effossus sic habuit:

III.

14. *Fabrett. c. 10. pag. 704. n. 250.*

14 DIS MANIBVS
C. SEIO . M. F. QVIR
CALPHVRNIO . QVADRATO . SILIANO
PROCOS. PROVINC. NARBONENSIS . PRAET
PEREGRINO . TRIB. PLEBIS . QVAESTORI . PROVINC. AFRIC
III. VIRO . CAPITALI
CVIVS . CORPVS . HIC . CREMATVM . EST

Et ibidem

IV.

15. *Fabrett. p. 292. n. 226.*

15. DIS MANIBVS
M. SENTIO . AMERIMNO
SENTIA . CLEOPATRA
PATRONO . IDEM CONIVGI
PIENTISSIMO ET
BENEMERENTI . POSVIT

Item

V.

16. *Fabrett. p. 295. n. 249.*

16. D. M
LAVRI
ABASCANTVS . CAES . N
SER. VER. DISP. ANNON
PATER ET CARPIME . MATER
FIL. DVLCISSIMO

In oppido autem Gallicano, quod certe in Agro quondam Gabino constructum est, in pavimento ve-

veteris Sacræ Ædis, (cui jam fatiſcenti ac dilabenti novam & peropportunam illam quidem atque elegantem nuper Pallavicinorum Principum Romanorum loci dominorum pietas ſuffecit) inſcriptus antiquus lapis a Fabretto productus ſic legebatur 17.

17. *Pag. 648. n. 414.*

VI.
C. STATIOLEIVS . L. F. MEN. F
STATIOLEIA . C. L. VRBANA
VXOR
L. TATTIVS . L. L. EPINICVS
TATTIA L. L. DIONYSIA

Inter rudera Sacræ Ædis Antiſtitum ut perhibetur, Gabinorum, titulo Sancti Primi, forte, Primitivi, ad Lacum Burranum in Agro olim Gabino 18.

18. *Id. pag. 745. n. 513.*

. . . . . .
VSTI . AN. QVI . . . . . .
ETVVS ADE . . . . . .
IR AVG IIII VIRV . . . . . .
ENICOS ET . . . . . .
T DECVRIO . . . . . .
CVM PRIN . . . . . .
MI CVM . . . . . .

Sequuntur lineæ tres deſperatæ lectionis. deinde

AVG DRVSI PATRIS GERMANICI CAESARIS DRVSI CAE
RIPPINAE AVIAE NERONIS CAESARIS GERMANICI.....
ANTONIAE AVG F ET CLVPEA INAVRATA VI ET....
TILE VIVA CANCELLOS ACERNEOS POD.....

In hoc Lapide plures Domûs Auguſtæ viri feminæque nominantur, utpote Druſus Germanici Cæſaris, & Druſi junioris Pater, & Agrippina Avia Neronis Cæſaris Germanici, & Antonia item Avia Caji Caligulæ Imperatoris. a quibus Ædificii alicujus certe magnifici ornamenta conſtituta innuun-

tur; ac præcipue clypea ſex inaurata, & cancelli acerni, & Podium; aliaque, quorum lectionem nobis edacitas temporis invidit. Putarem itaque de Templo aliquo ad Gabinum Lacum olim extructo hic mentionem eſſe factam. Cuinam tamen ex veterum diis illud fuerit dedicatum, divinare non auſim. Num Junoni Gabinæ, de qua Virgilius ſingulariter? Proclive eſt conjecturam facere, non tamen certi aliquid definire.

Ceterum extendebatur Ager Gabinus in Septemtriones ad Tiburtinos fines uſque ſibi conterminos. De quibus inſequenti Libro copioſiſſime jam ſumus enarraturi.

FINIS LIBRI DECIMISEPTIMI.

IN-

INDEX RERUM MEMORABILIUM

Quæ in his libris continentur.

A

Abennarum *Monumentum in Prænestino*. pag. 192
Ægyptii *ritus in pavimento Prænestino*. 144
Æliani *Prænestini Historici vitæ Breviarium*. 211
Æliani *Prænestini scripta*. 213
Ælianorum *monumenta Prænestæ*. 209
Ælianus *Historicus Prænestinus*. 208
Ælii *Tironis lapis*. 193
Æmilia *Basilica Prænestæ*. 151
Æstivæ *Romanorum Deliciæ Prænestæ*. 181
Agilii *Pantomimi lapis*. 171
Alimentariæ *puellæ Prænestæ*. 156
Alimentariorum *puerorum puellarumque Cantica*. 160
Amphitheatri *Prænestini monumentum*. 174
A. Munii *Evaristi lapis*. 166
Anatellontis *Prænestinus lapis*. 172
Aniciæ *Gentis Viri illustres*. 197 & *seqq.*
Aniciæ *originis communis jactatio*. 206
Antiqua *Prænestinæ Reipublicæ Forma*. 43
Antiquarum *Inscriptionum Fragmenta Prænestæ*. 180
Antrum *Fortunæ Prænestinæ*. 137
Apud *Sacriportum Marianorum & Syllanorum pugna cruentissima*. 94
Aquæ *Virginis*, *vulgo Triviæ*, *origo circa Viam Prænestinam*. 223
Aquarum *copia circa Viam Prænestinam*. 222 & *seqq.*
Arcanus, *sive Arkanus*, *dictus Juppiter a Prænestinis*. 167
Avari *militis pœna*. 69
Aufustiorum *villa in Agro Gabino*. 276
Augusti *Cæsaris villa Prænestina*. 182
Aureliæ *Anatole l pis*. 195
Aurelii *Vitalionis lapis*. 190
Auri *vis incredibilis ex Prænestina urbe Romam asportata*. 93
Austriacæ *Domus origo num ex Aniciis*. 205

B

Basilica *quodnam ædificium proprie fuerit antiquitus*. 152
Basilicæ *duæ circa Fortunæ templum Prænestæ*. 151
Barberinorum *villæ Prænestinæ*. 183
Baudrandus *De Collatiæ situ*, & *Ovidii interpretatione*, *notatus*. 236
Bithyniæ *Rex Prusias Fortunæ Prænestinæ sacrificat*. 125
Bola *cum Boillis*, *seu Bovillis*, *a nonnullis male confusa*. 232
Bolana *Gens Romæ olim*. 232
Bolanorum *Familia Venetiis*. 232
Bola *Oppidum prope Prænestæ*. 231
Bonifacii *de Ubertis carmina de Prænestis Auctore*. 164
Bracteæ *Prænestinæ quid fuerint*. 115
Bulbi *Prænestini spontanei*. 28
Burranus *Lacus in Agro Gabino*. 283

C

Cæcilia *Gens num origine Prænestina*. 196
Cæculus *Prænestes Conditor habitus*. 9
Cæsarianus *Fundus in Prænestino*. 30
C. Apulej *Agitatoris Prænestinus lapis*. 126 & 29
C. Seii *Calphurnii lapis*. 282
C. Valerii *Florini lapis*. 191

C. Marius *Junior Pontio Teleſino ſeſe interficiendum præbet.* 89
C. Septimius *Severus Municipii Prænestini Patronus.* 170
Cejanus *aut Cajanus Fundus in Prænestino.* 30
Centroniorum *villæ Prænestinæ.* 186
Cannenſi *Pugnæ quinam e Prænestinis interfuerint.* 74
Captivorum *Punicorum in Prænestina Cuſtodia conſpiratio.* 72
Carſitani *Populi in Agro Prænestino.* 24
Caſilini *longa & dura obſeſſio.* 63 & *ſeqq.*
Caſilini *Prænestinorum militum ad propulſandam famem induſtriæ.* 67
Caſilini *Prænestinorum præſidium ab Annibale oppugnatum.* 62
Caſprus & *Marius Prænestini milites in Pugnâ Cannenſi.* 76
Catilina *Prænesten occupare tentat.* 99
Cavædia *permulta ornata Prænestead Fortunæ.* 162
Chori *puerorum puellarumque deorum laudes canentium.* 160
Ciceronis *teſtimonium de Sortibus Prænestinis.* 107
Cilonis *Fundus in Agro Prænestino.* 187
Cinctus *Gabinus quid fuerit.* 278
Cinnanorum & *Marianorum Romæ crudelitas.* 80
Cn. Arrii *Aximii Gabinus lapis.* 281
Cn. Voeſii *Apri Prænestinus lapis.* 168.
Collatia *Oppidum prope Præneste.* 234
Collatiæ *antiquæ ſitus incertus.* 236
Collatiæ *initium Romanæ libertati factum.* 235
Collatinæ *arces.* 234
Coloniæ *Prænestinæ lapides.* 165
Coloni *Fortunæ qui dicti.* 106
Columnenſium *origo num ex Aniciis.* 206
Coronarum *Civitas quare Prænesteappellata.* 112
Cortina *in Templo Fortunæ.* 114
Curatores *Viæ Prænestinæ.* 220
Cylonis *Fundus in Prænestino.* 30

D

D. Velii *Trophimi lapis.* 168
Decuriones *Coloniæ Prænestinæ.* 165
Dedicationes *Fortunæ Prænestinæ factæ.* 121 & *ſeqq.*
Dedicationes *pluribus Diis factæ in Agro Gabino.* 275
Dedicatio *T. Cæſii Primi facta Fortunæ Prænestinæ.* 120
Defectio *Prænestinorum a Romanis qualis.* 48
Delta *Ægypti regio in pavimento Fortunæ Prænestinæ adumbrata.* 140
Delubrum *proprie quid ſit.* 137
Digiti & *Dactyli dii & Compitales qui.* 11
Dii *adelphi quinam dicti.* 154
Dii *ſynthroni qui.* 154
Dinoviani *ſepulcralis lapis.* 195
Ditionis *ſacræ Antiſtitis Prænestini oppida enumerata.* 32
Domitiano *Fortuna Prænestinaquodnam oraculum dederit.* 118
Domitii *Gallicani Prædium.* 239
Donabelli *Fundus in Prænestino,* 31

E

Elementa, *ſeu litteræ in Prænestino Litho ſtroto extantes.* 140
Eſchinardi (*Franciſci S. J.*) *Viæ Prænestinæ Deſcriptio.* 220
Evander *Arcas apud Prænesten.* 14
Evandri *de Herilo victoria qua ætate.* 15

F

Faſti *Conſulares in Foro Prænesſte.* 177
Fauſtinarum *monumenta Prænesſte.* 156
Fauſtinianæ *Scholæ Prænesſtes, quænam exercitia.* 159
Flavj *Apollinaris lapis.* 178
Fortunæ *Templi Prænesſte quis fuerit conditor.* 104
Fortunæ *vaniſſimæ ſortes.* 118

Fortuna *Præneſtinorum numen præcipuum*. 104
Frangepanes *Anicii unde dicti*. 204
Fulvia *Baſilica Præneſte*. 151
Fulvia *M. Antonii uxor belli ſedem Præneſte facit*. 99

G

GAbii *Albanorum Colonia*. 244
Gabii *oppidum Viâ Præneſtinâ*. 243
Gabii *Romanorum Colonia*. 269
Gabii *Urbs olim vaſta & populoſa*. 245
Gabiis *educati Romulus & Remus*. 253
Gabiis *ſervorum optima educatio*. 254
Gabinæ *Coloniæ lapides*. 269
Gabinæ & *Gabiuſæ Viæ monumenta*. 280
Gabina *Juno a Gabiis culta*. 245
Gabinenſes & *Gabinatæ Epiſcopi*. 247
Gabini *etiam Gavini, & Gabienſes & Gabiatæ dicti*. 246
Gabiniorum *lapis*. 267
Gabinus *cinctus quid fuerit*. 278
Gabioneta *Villa in Agro Gabino*. 277
Gabiorum *diſtantia ab Urbe*. 247
Gabiorum *per Tarquinios doloſa expugnatio*. 255 & *ſeqq*.
Gabiorum *ſitus incertus*. 249 & *ſeqq*.
Gabiuſa, & *Gabina Via, eadem quæ Præneſtina*. 281
Gabiuſa *Porta olim Romæ*. 281
Gaviniana *Prædia in Præneſtino*. 31
Gaviniana *Prædia*. 246
Gavis *idem quod Gabii*. 252
Genio *Præneſtini Municipii facta Dedicatio*. 170
Gens *Anicia origine Præneſtina*. 197

H

HEmicyclus *Præneſte quid*. 176
Herilus *Rex Præneſtinus*. 14
Hypſæi *Albi lapis in Agro Gabino*. 276.

I

ILluſtres *Præneſtini viri recenſiti*. 207
Jovi *Puero facta Dedicatio*. 126
Juliæ *Rufinæ lapis*. 166
Juliani *Anicii illuſtres*. 202
Junoni *Gabinæ Dedicationes*. 274
Junonis *menſis apud Præneſtinos quis*. 102
Juno *parvula in gremio Fortunæ*. 115
Juppiter *puer in gremio Fortunæ*. 115

K

KAlendarii *Præneſtini fragmentum*. 172
Kircherii (*Athanaſii S. J.*) *De Præneſtino Lithoſtroto ſententia*. 134 & *ſeqq*.
Kircherius (*Athanaſius S. J.*) *laudatus*. 146

L

LAcunæ, *ſive Piſcinæ, ad Fortunæ templum Præneſte*. 162
Lacus *Gabinus & Burranus dictus*. 283
Lapides *plures inſcripti in Agro Præneſtino*. 190 & *ſeqq*.
Lapidum *Fortunæ Dedicatorum explicatio*. 125
Lauri *Abaſcanti lapis*. 282
Ligneum *Fortunæ ſignum Præneſte*. 138
Lithoſtroti *Præneſtini Fortunæ templi explicatio*. 133. & *ſeqq*.
Lithoſtroton, *non Templum, Fortunæ Sylla condidiſſe dicitur*. 105
Locus, *ubi antiquitus Præneſtinum Lithoſtroton fuit*. 136
Longianum *majus & minus in Præneſtino*. 31
L. Attilius *Præneſtinus modorum muſicorum factor*. 208
L. Cinna *Conſul Præneſtinos ad C. Marii factionem pertrahit*. 79
L. Papirius *Curſor ignavum Præneſtinum Prætorem terret*. 60
L. Poſthumius *Conſul cur Præneſtinis iratus*. 73
L. Statii *Proſperi Juliani lapis*. 167
L. Syllæ *Dictatoris crudelitas*. 88
L. Syllæ *in Marium juniorem mortuum exprobratio*. 91

L. Syllæ *in Prænestinos Marianæ factionis Pugnæ.* 82 *& seqq.*
L. Syllæ *turpissima mors.* 97
L. Sylla *necem ab hostibus intentatam pene miraculo evadit.* 87
L. Sylla *Prænestinos omnes sibi deditos miserabilissima clade afficit.* 92
L. Sylla *quando* Felicem *se nominaverit.* 97
L. Urvinii *Statua Prænestæ.* 27
Lucretius *Offella Marium juniorem arctissime intra Prænestæ obsidet.* 84
Ludi *dies octo Prænestæ.* 174
Ludus *Gladiatorius Prænestæ.* 101

M

Magistratus *permulti Prænestinorum recensiti.* 169
Maniliæ *Lucillæ lapis.* 192
Manitii *Prænestinorum militum Prætoris monumenta.* 71
Manitius *Prænestinus Prætor Casilini suorum Dux invictus.* 68
M. Annii *lapis Viâ Prænestina.* 230
M. Barbi *Prænestinorum Coloniæ Patroni inscriptus lapis.* 161
M. Junii *Archimimi lapis.* 179
M. Sentii *Amerimni lapis.* 282
M. Ulpii *Abascanti lapis.* 196
M. Ulpii *Euphrosini lapis.* 195
M. Ulpii *ingenui lapis.* 196
M. Ulpii *Prænestini lapis.* 193
M. Agulnius *Scato Prænestinorum Prætor.* 175
Marii *junioris in suos strages.* 83
Marius *junior Martis primo, deinde Veneris, cur dictus filius.* 81
Marmorata *fundus in Prænestino.* 30
Marmorum *versiculorum fodinæ in Agro Prænestino.* 41
Maxentii *Imp. lapis.* 231
Messienorum *lapis.* 189
Militum *Prænestinorum sub Cæculo armatura.* 45
Municipia *aliquot per Italiam ab Victore Sylla subhasta vendita.* 95
Municipium *Gabinum desertum.* 270 *& seqq.*
Municipium *Prænestinum.* 169

N

Nævii *de Prænestinis testimonium.* 23
Navium, *naviculariumque, in Prænestino Lithostroto descriptio.* 141
Noricorum *statio in Prænestino.* 188.
Nuces *Prænestinæ ex præcipuis.* 22
Nuperi *auctoris de Prænestino pavimento sententia.* 147 *& seqq.*

O

Octavii, *& L. Antonii, in Agro Prænestino exercitus.* 100
Olebanum *fundus in Prænestino.* 31
Opi *Divinæ dicatus lapis.* 122. *&* 231. *&* 232.
Oppida *olim circa Prænesten.* 19
Ornatus *Fortunæ Prænestinæ templi preciosissimi.* 113
Orphanotrophia *quid sint.* 158
Ovile, *sive Ovilia, locus Romæ Sullanâ crudelitate celebris.* 94

P

Pedana *regio quæ dicta.* 238
Pedia *Romana familia.* 239
Pedo *Albinovanus Poeta.* 239
Pedum *oppidum in Prænestinis.* 238
Pharos *Fortunæ Prænestinæ.* 161
Pharus *Prænestinus quid.* 114
Pontius *Telesinus Prænestæ cum C. Mario sponte confligit.* 89
Popiliæ *Alexandriæ lapis.* 196
Possessio *Celeris in Prænestino.* 31
Prænestæ *Albanorum Colonia.* 47
Prænestæ *cur asylum fuerit.* 39
Prænestæ *cur inter Barbaricas civitates apud Plautum.* 39
Prænestæ *Fortunæ sacrum.* 103
Prænestæ *quibus auctoribus memorata.* 2
Prænestes *antiquæ ab Urbe Roma distantia.* 7
Prænestes *nomina & eorum origines.* 16
Prænestæ *Stephane & Polystephane dicta cur.* 17

Prænestina *Colonia quo jure deducta*. 29
Prænestinæ *antiquæ Urbis descriptio*. 3
Prænestinæ *Regionis situs*, 1
Prænestinæ *rosæ species plures*. 27
Prænestinæ *Urbis Conditor quis*. 8. *& seqq.*
Prænestina *vina olim in pretio*. 29
Prænestini *ab Romanis fugantur ad Alliam flumen*. 55
Prænestini *ad Octavium deficiunt*. 101
Prænestini *Agri Arbores quæ*. 21
Prænestini *Agri copiosæ segetes*. 28
Prænestini *apud Pedum devicti*. 58
Prænestini *cur* Nuculæ *appellati*. 23
Prænestini *Romanæ Urbis Portas invadunt*. 53
Prænestini *Samnitum Agros depopulantur*. 51
Prænestini *Veliternis auxiliantur contra Romanos*. 50
Prænestinorum *militum in Romanos Fides*. 61. *& seqq.*
Prænestinorum *peculiaris olim ratio inter Latinos loquendi*. 33
Prænestinorum *Priscorum mores*. 37
Prænestinus *Ager irriguus*. 20
Prænestinus *Mons frigido sub Cælo*. 5
Prænestinus *Mons num unquam* Aventinus *fuerit dictus*. 26
Primigenia *Fortuna cur appellata*. 111
Primigenium *proprie quid sit*. 111
Pyrrhus *ab Prænestina Arce Romanos terret, Romanamque Urbem, prospectat*. 59

Q

Q. Canusii *Prænestini lapis*. 188
Q. Horatii *Flacci Poetæ Prænestinum*. 30
Q. Horatii *Flacci Rus Prænestinum*. 182
Q. Verii *Flacci Statua & Fasti Consulares Prænestæ*. 178

R

Rhodinum *unguentum ex Prænestinis rosis*. 25
Ridicula *Prænestæ olim jactata prodigia*. 163
Rosa *Prænestina inter præcipuas*. 24
Rupilius *cognomento rex, Prænestinus*. 37
Rusticatio *Prænestina a Poetis commendata*. 184

S

Sacrarium *Penatium Prænestæ*. 173
Sacriportus *Oppidum juxta Prænestæ*. 237
Sacriportus *oppidum Prænestæ proximum*. 94
Samnitum *auxiliares exercitus circa Romana mœnia Sullanos, Sullamque ipsum pene extinguunt*. 86
Samnitum *Duces, cum exercitibus, Prænestinis auxilio veniunt*. 85
Saufejorum *lapis*. 173
Scaptia *Urbs & Tribus*. 240
Schola *Faustiniana Prænestæ*. 155
Scholæ *Faustinianæ lapis Prænestæ*. 161
Securitati *facta Dedicatio*. 167
Semesanus *fundus in Prænestino*. 31
Serapeum quid. 153
Serapidis *cultus Prænestæ, ac templum*. 113
Sex. Mæsii *Prænestinus lapis*. 127
Silius *Italicus defensus*. 75
Silius *Italicus Prænestinorum militum constantiam Casilini non ignoravit*. 77
Simulacrum *Fortunæ deauratum*. 115
Solarium *Prænestæ circa Templum Fortunæ*. 152
Sortes *Prænestinæ a summis Magistratibus olim aditæ*. 117
Sortes *Prænestinæ pro peregrinis habitæ*. 109
Sortes *Prænestinæ quid fuerint*. 116
Sortium *Prænestinarum antiquitas*. 108
Sortium *Prænestinarum figura*. 116
Sortium *Prænestinarum formulæ*. 117
Sortium *Prænestinarum majestas*. 118
Statioleji *& Statiolejæ lapis*. 283
Strabonis *de Prænestinæ Urbis situ testimonium*. 2
Suaresii (*Jos. Mariæ*) *De Prænestino Li-*

Lithostroto opinio. 134. *& seqq.*
Symmachi *Consulis Villa Prænestina.* 187

T

TElegeniæ *nobilis lapis.* 179
Telegonus *num Prænesten condiderit.* 12
Templi *Fortunæ Prænestæ antiquitas summa.* 106
Templi *Fortunæ Prænestæ structura quæ.* 113
Ti. Claudii *Nicostrati lapis.* 179
T. Flavii *Germani lapis.* 165
T. Livii *Patavinitas quid fuerit.* 33
Titi *Popilii sepulcralis lapis.* 191
T. Quintii *Monimentum Capitolinum de Prænestina victoria.* 57
T. Livius *Patavinus ab Asinii Pollionis æmulatione defensus.* 34
T. Quintius *Prænesten in Deditionem accipit.* 56
Trivia *cur dicta Aqua, quæ olim* Virgo *dicebatur.* 229

V

VAleriæ *Capriolæ lapis.* 230
Valerii *Hermaisci Monumenta Prænestæ.* 153
Veneris *Gabinæ Dedicatio.* 274
Verrii *Flacci lapis Prænestæ.* 215
Verrii *Flacci Prænestini res.* 215
Via *Collatina, seu Collatia.* 235
Viæ *Prænestinæ inscripti lapides.* 192 *& seqq.*
Viæ *Prænestinæ stationes.* 216 *& seqq.*
Villa *Magna in Prænestino.* 189
Virginis *nomen unde tributum Aquæ celeberrimæ Triviæ.* 224
Ulpianorum *puerorum Monumentum.* 157
Ulpiorum *lapides.* 195. *&* 196

TABULÆ MONUMENTORUM AC RUDERUM

In quibus Veteris Prænestinæ Urbis Ædificiorum aliqua adhuc apparent vestigia, in his libris expressæ.

LIBRO DE PRÆNESTINIS.

TAB. I. *Prænestinarum Sortium Oracula & Figura.*
TAB. II. *Fortunarum Prænestinarum Imagines variæ.*
TAB. III. *Fortunarum Prænestinarum Imagines variæ. Scholæ Prænestinæ ad Templum Fortunæ Prænestæ Nummus.*
TAB. IV. *Ichonographia Templi Fortunæ Prænestæ.*
TAB. V. *Sciographia Templi Fortunæ Prænestæ.*
TAB. VI. *Orthographia Templi Fortunæ Prænestæ.*
TAB. VII. *Magnificæ Prænestinorum Principum Ædes in substructionibus Antiqui Fortunæ Templi excitatæ.*
TAB. VIII. *Lithostroti in Prænestino olim Fortunæ Templo fragmenta.*
TAB. IX. *Alia Prænestini ad Fortunæ Lithostroti fragmenta.*

Or-

Ordo collocandarum Tabularum.

TABULA I. pag. 120.
TABULA II. pag. 120.
TABULA III. pag. 120.
TABULA IV. pag. 136. vel in fine.
TABULA V. pag. 136. vel in fine.
TABULA VI. pag. 136. vel in fine.
TABULA VII. pag. 136. vel in fine.
TABULA VIII. pag. 152. vel in fine.
TABULA IX. pag. 152. vel in fine.